


V Ambrogio



NOVA
THERAPEUTICE

AD RHEUMATISMUM, ET INFLAMMATIONES

VINCENTII AMBROGI
ROMANI

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris

IN VENERABILI NOSOCOMIO S. JOANNIS
CALYBITÆ URBIS

PROFESSORIS PRIMARII



VENETIIS

1793.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA

Superiorum Facultate.

PUBLICO

SALUTIS

BONO

Id enim ab homine exigitur, ut hominibus prosit. Senec.

PRÆFATIO.

SI consueta methodus medendi morbis Inflammationis, atque Rheumatismo, felix ut plurimum observaretur, jure fortasse potuisset quibusdam non arridere ulterior ea de re investigatio; etsi magis magisque curandum sit diligenti, ac integro Medico, ut is feliciores curationum suarum eventus, ac universim tales in omni casu consequatur. Verum verò: an consueta illa methodus medendi inflammationibus, atq: Rheumatismo adeo felix, vel potius sæpe infelix deprehenditur in praxi? Judicet hæc vulgus hominum, atq. Oppositores nostri (quorum gratia dumtaxat præfari oportuit cum aliqua dicendi libertate) ingenue addant, methodum illam minime dirigi ad destruendam causam essentialem ejusmodi morborum. An non igitur res postulat, ut melior medendi ratio, quæque necessaria, & essentiali virtute polleat, perquiratur? Quod si ea inventa, & satis diù Medica sedulitate fuerit experta, cur non in medium proferenda? Proferenda, inquam, ad vitam hominum etiam atq: etiam reparandam, ad ægros sublе-

blevandos, ad gloriam Artis, ad uniuscujusque Professoris honorem? Ex Vobis, qui hactenus renuisse videmini duabus in Urbibus novæ huius experientiæ medicæ divulgationi, non quærebam profecto auxilium, neq. ullam defensionem. Siquidem, qui nondum expertus est, nonnisi temere illud vel tueri posset, vel oppugnare. Garrientes autem castigare, quod inutile est, unusquisq: clinicus Scriptor facile posset, qui calami pondus, sentit, quam sit exiguum. *Magnam procul dubio laudem merentur illi, qui conati sunt tentare novis remediis curam Rheumatismi, dum medicamentis hactenus cognitis pervicaciter resistebat malum.* Ità sentit sapientissimus *Vansvvieten* (*Comm: in Aph.* Boer. §. 1493.) de non acquiescendo medicamentis hactenus cognitis in curatione Rheumatismi, morbi denique pervicacis, molestissimi, atrocis, verum potius raro periculosi. In curandis autem Viscerum inflammationibus, qui morbi natura sua sunt periculosi, & quibus reverà succumbunt multi, acquiescendum ne erit præsidiis hactenus usitatis? *Cum hactenus* (*Idem Auctor Com. in Aph.* Boer. *de inflamm.* §. 396.) *nulla fide constet, dari talia remedia, quæ specifica sua vi externè applicata, vel intus assumpta solvere possint tam subito phlogisticum stagnantem, & immeabilem*

san-

sanguinem? Cum hactenus nihil melius possit fieri, quam ut impediatur ulterior hujus obstruentis sanguinis protrusio in majores adhuc angustias vasorum convergentium, ejusdemque caveatur major compactio, & consolidatio?

Notum enim est vel ipsi vulgo, qui magis magisque in diem oculatior evadit, potissimum inter usitata remedia Antiphlogistica, Phlebotomiam scilicet, non possidere virtutem, quæ resolvat sanguinis coagulum: cetera verò, aut non satis valida, aut nulla eiusmodi virtute pollere. Certum aliundè, exploratumque omnibus est, essentiam Inflammationum, æquè ac Rheumatismi, consistere in fluidorum coagulo, atque stagnatione. Cur non igitur exclamandum, Cl. Oppositores, *solvens* contra tantum coagulum? *Solvens*, quod ejusmodi morborum progressum retardet, vires infringat, causam ipsam amandet, expellat, destruat?

Cum ageretur de statuendo Celso Obelisco in Vaticana *S. Petri* Area, eumque superimponere basi non contingeret ob rudentes plus justo laxatos, peritissimus Architectus *Dominicus Fontana* minimè dedignatur homunculi cujusdam exclamantis vocem: *Acqua, Acqua, Babbacioni, bagnate le Corde*. Aqua perfusi rudentes intumescunt, contrahuntur, res

illicò iuxta votum absolvitur, & multitudo stupens plausus ingeminat.

Cum ab Anno 1768. versarer in usu ſublimati corrosivi, & occasiones quidem illud adhibendi amplissimæ, ac propè innumeræ occurrerint, felices intereà obſervabam ſanationes, nedum luis venereæ, sed interdum Paralysum, Amaurosum, Rachitidum, Strumarum, atque Cancrorum. Menſtrua Mulierum, ab aliquo Anno ſuppreſſa, ſub usu ejus remedii redire vidi. Vtinam posset aliquis incumbere omni studio ad comparandas, & describendas observationes de egregiis viribus huius Divini remedii! Res hæc mereret opus. Opus hoc utilissimum foret publico Salutis bono. Cum igitur in similibus curationibus morborum ejus diversi generis conſpicuam sese probaret vis generatim solvendi hujus salis neutri Metallici, animus accessit, (1°) & spem concepi, futurum fuisse, ut phlogisticum sanguinis coagulum, quod toties pervicax renititur quibuscumque, sivè direćtè, sivè indirećtè resolventibus adhuc usitatis, nonnisi ei apprimè egregiæ solvendi virtuti auscultasset. Varia Analogica argumenta, ad quæ me vertebam, ea minimè repugnare videbantur; aliquod immò ex iis mihi ostendebat futurum esse, ut indolem ejus salis, ut ut irritantis,

non

non respueret Character inflammatorius. Quapropter (2°.) Medicis oculis observare decrevi, quos effectus præcipuè produceret remedium quoad pulsus, quoad solida, & fluidorum massam: quos in celticis, & in cancro affectis, dum ii febricitarent: quos denique in ipsis inflammationibus celticis, ut in Bubonibus, Phymosi, & inflammatione circa ulcera. Undè (3°) expertus ut fui manifestum juvamen, eamque bonorum effectuum qualitatem, quæ casui nostro maximè congruere videbatur, potui eodem remedio aggredi Rheumatismos: primum quidem chronici generis: deindè (4°.) eosdem chronicos, cum eis accederet febris. Tandem (5°.) invasi Rheumatismos ab ortu suo evidenter acutos. Neque profecto ejusmodi gradus fecissem, nisi me impulisset felicitas eventuum in singulis hisce experimentis magis magisque comparata. Summo prudentiæ cultu malui experiri usum *hæroici solventis* antea in Rheumatismos acutos, quam in Inflammationes Viscerum particulares, aliosque phlogisticos morbos; quamquam utrorumque essentiam eamdem habeamus. Ea prætereà utilitas proficisci debebat ex ordine tali experimentorum: quod scilicet, magis apertè patuissent in Rheumatismis curandis vera actio, & tutissimi optimi effectus *hæroici solventis*.

Quæ cum ita fuerint diù postea me contuli (6°.) ad invadendos eodem ense cæteros morbos inflammatorios . Quod qua prosperitate , quibusque determinatis peculiaribus observationibus fuerim prosequutus , ingenuè exaro .

Morborum historias recensere , inutile mihi visum fuit, & me profectò tæduisset , quemadmodum eas tædet legendo percurrere . Illud satis esse putavi , ut coram peritos Clinicos res deductas generales , prout ex multis casibus illas erueram , atque insimul comparaveram , sigillatim adnotarem .

Quoad theorias circá necessitatem, actionem, & effectus *magni Antirheumatici* , *&* *Antiphlogistici* aliqua profero . Experimenta quædam adduco , atque animadversiones , quæ spectant summam, qua coagulum oritur , facilitatem , tum incredibilem , quam celeriter acquirit , magnitudinem , ejusque mirabilem propagationem , ubi semel incæperit . Experimenta refero , quæ institui de actione Sublimati in sanguinem extra vasa . Nonnihil argumentor ad arcendum metum ab usu Antiphlogistico hujus remedii , utpote veneni ; etsi minimè id facere oporteret nostris hisce temporibus , quæ clariori lumine illustrantur , quam præteritis : quibus nihilominus minimè dubitarunt Veteres nostri adhibere in pulmoniis curan-

dis

dis ſuccum cucumeris asinini, helleborum album, piper, & flores æris. Hæc, inquam, & alia attingo. Cætera lusciosus ego Lynceis accuratiora relinquo; eatenus sapere contentus cum *Willisio*, quousque rationi sensus externi operam præstitere; procudere enim, aut somniare philosophiam Medicam me nolle, lubens profiteor.

Diiudicent modo Litterati Viri, utrum audaciæ redarguendus foret potius is, qui me taxaret audacem, antequam opus hoc Clinicum perlustrasset, quam redarguendus Ego, qui ad Sublimati usum antiphlogisticum non temerè festinavi, sed fuì pedetentim adductus à validissimis argumentis, ab attenta effectuum observatione, ab experimentis prudenter institutis.

Inter ea hucusque indicata res aliquæ, quæ extra aleas videntur apparere, nobis hinc indè sese obtulerunt. In quavis occasione dicendi profectò nos ingenuè loqui curavimus, idest, prout decet Christianum Medicum, & virum integrum, & liberum, ut, in agendo de hominum vita nihil timide, neque serviliter proferatur. Ea idcircò fuimus mente, secus atque alicui fortasse placuisset, ut nullum remedium, atque Systema, dummodò utile, vel odio, vel amore prosequendo, Professorum neminem, vel hu-

milem exaltare, vel superbum auderemus debellare. Agitur quippe de hominum valetudine, quam postponere propriis utilitatibus, aut ambitioni, aut livori, cujusque sane Animus horrere deberet. Nunc jam vulgus ipse, cui olim credulo poterat non minus egregie, quam turpiter imponi, detexit execrabilem hanc, lege Manilia plectendam, Artem agendi.

Notum erat Vulgo Sublimatum. Neminem Medicorum latebat, aut saltem latere debebat vis ejus suprema solvendi. Neminem Medicorum latebat, aut saltem latere debebat supremum coagulum in morbis inflammatoriis, illudque esse primario spectandum. Sed *Antirheumaticam*, atque *Antiphlogisticam*, quæ fortasse insigniores, quam Antivenerea, sunt in eo Sale virtutes, eas primum, quoad sciam, comperuisse mihi videor in praxi, & satis experientia comparatas fecisse notas Reipublicæ Medicæ. *Sicchè forse ogni Medico* (ajebat non minus egregius, quam lepidus *Torti* in litteris suis ad L. Antonium Muratori, postquam facilè primus divulgaverat celeberrimam rationem sanandi febres perniciosas per Chinam Chinam) *si stupisce trà se medesimo, anzi di se medesimo, per non essergli venuto in mente ciò, che è venuto in mente à me; e forse se ne stupisce in guisa, che quasi và adulando se stesso di a-*

ver-

verlo saputo al pari di me, senza saper di saperlo.

Cum variis, quas expono de causis in praxi observatis propinare remedium ad curandas inflammationes eadem methodo, qua solent in luem Veneream, & ipse utor in Rheumatismum quoque acutum, non satis prosperè id contingeret; hinc novam aliam suscepi methodum, ipsamque decrevi: quæ quidem longè minus incommoda, & molesta est altera, tum prudentior, & utilissima: quæque de hoc genere morbi curando omninò, & adamussim exigi videtur. Necessarium quoque duxi in casu nostro, dissolvere Sublimatum in spiritu vini, non in aqua, veluti jubere scio experientissimos, quos valdè veneror, Professores. Notum est quippè, præter alias, quas affero, rationes, Chemicorum industria dulcescere spiritum Acidum salis Marini cum spiritu vini.

Porro supersedere potuissem operis editioni, donec observationes alias sub nova suscepta methodo uberius comparassem, tum donec majori rerum ordini, sermonis claritati, & elegantiæ studuissem. Verum cum jam in promptu fuisset quidquid essentiale, scitu dignum, hac de peculiari Therapeutice requireretur, bonum salutis publicum, quod urget, spectare volui. Metuebam denique, ingenuè fateor,

ne quis mihi ingratum calliditate sua esset factu- rus, quemadmodum accidisse *Cl. Pacchiono*, narrant nostri. Quamquam hac de mea praxi vocare potuissem testes plures Professores, quibus eam jampridem communicavi, & quorum aliquis conspicuus illam prospero jam eventu in executionem mandaverat; tum singulariter vocare testem L. P. G. B. novem jam abhinc annis certiorem à me ritè factum, Virum summum, tum dignitate, tum doctrina, celeritate ingenii, prudentia, & amænitate conspicuum, cui plurimum me debere libentissimè fateor.

Eo animo scilicet juvandi, quo tibi offero, accipias precor Benevole Lector hunc meum laborem. Adverte animum diligenter ad eas omnes cautiones, quas prodidi in administrando remedio pro diversis rerum circumstantiis. Fac quæso, ut illud in usum revoces primo contra Rheumatismos; manifestam quippè, mirabilem, brevem, determinatam, & omnimodam resolutionem eorum, prout describo, experieris. Felicitate autem, longè majore consueta, tibi contingent, observabis, curationes Inflammationum; si perpendes tamen, & probè dignosces earum naturam, quæ reapse consistat in mero coagulo, & stagnatione sanguinis; aliter enim si natura illa permixta sit cum alia morbosa indole, de minori

nori prosperitate effectuum te debeo præmonere. Usus te plura docebit, & procul dubio majora, quam quæ Ego pro mea tenuitate potuerim comparare.

Interim ex quocumque dissentiente quærat Vulgus ipse, an cætera detecta in Medicina, & alia hæroica remedia ſubierint aversiones, acerrimas contrarietates, atq: obtrectationes?

Quot ne sæcula Mercurii, nunc generatim adhibiti, usum omninò renuerint Medici? An non in pœnas quasdam olim incurreret, qui Medicus in usum revocabat vel ullum præparatum Antimoniale, quod hodiè indiscriminatim imperatur? An ullum aliud natura sua virulentum, & quasi virulentum medicamentum adhibetur a Medicis? An ipse dissentiens adhibeat, ut cæteri, Mercurium, & spiritum Salis Marini, quorum nonnisi utroque constat Sublimatum? An ipse dubitaret in morbo inflammatorio perhibere pro unaquaque die paulò etiam minus, quam unicum Mercurii granum, & aliundè septimam circiter grani partem spiritus acidi (en granum Sublimati, dosis nimirum in singulos dies) salis marini, dilutam in qualibet fluidi copia? Cur, potius, quam utrumque per artem Chemicam conjunctum exhibere, sinere velit, ut Rheumatismo affecti per-diù excrucientur, nisi in periculum mortis incidant, tum Inflammationibus viscerum laborantes sæpe sæpius ad Charontis Cymbam dimittantur.



NOVA THERAPEUTICE

Ad Rheumatismum, & Inflammationes.

§. I.



INflammationes, & Rheumatismus nihilo secius, ac febres periodicæ, Synochi putridæ, & affectiones nervorum, videntur esse illa morborum genera, quibus, ut plurimum, nos hodie mederi debemus, utpote hisce Regionibus maxime familiaria. Inflammationes autem solent per singolos fere annos non exiguam hominum multitudinem de medio tollere, & sæpe majorem, quam simul reliqui morbi modo indicati. Pleuro pulmonia, quæ omnium maxime communis est, plures fortasse occumbunt, quam qui ex eadem convalescant. Quælibet præterea vel levis inflammatio cujusque corporis partis, etiam externæ, potest sine mora converti in

Inflamationes, & Rheumatismus inter morbos maxime familiares: Inflamationes autem, quam graves sint, & lethales, considerantur.

morbum gravem, uti medicæ referunt historiæ, in gangrænam præcipue transeundo. Quoties autem ex inflammationibus chronicæ emergunt ægritudines, quæ postremo lethales fiunt?

§. II.

Interdum epidemice grassantur, veluti pleuritides an. 1779.

PRæter gravem, & maxime periculosam inflammationum indolem, tum præter summam earum frequentiam, illud addendum eſt: ejusmodi speciem aliquando epidemice dominari, quemadmodum solent febres putridæ, & malignæ: ne dum ex manifeſtis, sed etiam ex occultis aeris qualitatibus; unde vel cauti homines tunc facere pro virili non possunt, quominus in percurrentem incidant inflammationem, ac interim pereant. Satis id patuit an. 1779., cum non modo in ipso hyemis vigore, sed primo etiam mitescentis veris tempore tot illæ pleuritides, ac tam sæviter noſtra in hac Urbe grassatæ sunt, quin certa aliqua prophylaxis dari potuisset.

§. III.

Nonnulla obiter advertuntur de indole ejus constitutionis.

INquirenti tunc genium causæ præincipientis, quoniam dicendi sese offert occasio, habenda quidem erat ratio insolitæ atmosphæræ siccitati, cui genium illud respondere debebat. Huic ne inhærebant rationi opinantes de putrido? Multi adveniente gangræna, vel suppurationis actu, paucos intra dies perierunt. Non raro post fallaces

ces inducias improviso ad pulmones transmigrabat inflammatio: etsi ad instar erysipelatis paulatim soleret serpere, & non ad pulmones tantum, sed fortasse ad ventriculum quoque; frequentes enim vomitiones tunc in ægrotantibus observabantur.

§. IV.

De Vomitu, qui inducebat aliquos opinandum injuste de putrido gastrico.

Quæ accedebant errandi occasiones.

Ejusmodi phænomenon, hoc est vomitus, potuit nonnullis Medicis (liceat id nobis breviter ac per transennam attingere), putridi gastrici metum excitare: eoq: magis, quod ægrotantium pulsus & lingua, quæ pneumonica cum fuerint, non difficile pulsus, & linguæ putridarum speciem, & similitudinem offerebant, in ejusmodi aut errorem, aut metum eorum aliquos procul dubio compulerint. At primo; utinam satis emendetur popularis illa, nescio quæ, prævia mentis occupatio: scilicet fere ubique in acutis increpandum esse putridum gastricum, veluti olim summo ægrotantium discrimine solebat malignitas increpari. Deinde non ne reliqua omnia, quæ in ipsa constitutione attente erant medicis oculis consideranda, satis aperte poterant inanem, & nullum eum esse metum persuadere?

Ipsemet Auctor, quem ipsi favere putabant propriæ sententiæ, monet Clinicos de hoc errore.

Ballonius ipse, cujus auctoritate putabant illi, sententiam suam de mixto putridi gastrici charactere confirmari posse, Medicos aliunde de injusto hoc metu præmonuerat, signanter in pleuritidibus anni: 1573., quibuscum nostræ anni 1779. potiori jure poterant comparari. Nota-

bat eas diligentissimus Observator esse plerasque funestas , tum vomitiones perpetuas afferre , & summam virium prostrationem ; eo quod inflammationis vis ad nobiliores partes , præsertim cor , & ventriculum perveniret . Id plerisque fuisse incognitum , notat apprime consideratissimus Clinicus ; putabant enim , inquit , tunc Medici ratione talium signorum complicatum esse morbum , quum illa essent tantum epigenomena ab ipso inflammatorio morbo graviori jam facto , omnino producta .

Quid imo indicet vomitus in inflammationibus pectoris . Hujus ratio .

Denique adeo abest , quod vomitus , dum inflammatione pectus obsidetur , significet putridum gastricum , quin imo sumi posset ille pro signo indicante , non pleuram , vel non modo pleuram , sed etiam pulmonum affici substantiam : quod nempe , paucis dicam , pulmoniam distingueret a mera pleuritide . Neque mirum ; quippe membrana bronchiorum pulmonis est æsophago communis : nervique octavi paris , qui vasa pulmonis non pauca circumcingunt , ad orificium quoque stomaci protenduntur . Intelligenti pauca . Sed „

„ *veluti pueri trepidant , atque omnia cæcis*
„ *in tenebris metuunt , sic nos in luce timemus*
„ *interdum nihilo , quæ sunt metuenda magis , quam*
„ *quæ pueri in tenebris pavitant , fugiuntque futura* . Lucret.

§. V.

§. V.

An comperta hactenus remedia antiphlogistica paria sint viribus tanti morbi? An illis acquiescendum?

IN eis igitur, quas singulatim animadvertimus, inflammatorii morbi summa gravitate, frequentia, nec rara potestate epidemice grassandi, Veterum aliqui, uti Helmontius, inquisierunt in singularia remedia: tum nonnulla, quæ ipsi vocabant specifica, inventa nobis commendaverunt. Sed cum jamdiu honestum quemque Profiessorem pudeat rudibus, indoctisque turpiter imponere, medicas illas, tanquam aniles fabulas, nemo curavit. Alia quædam, non inertia profecto, medicamina proposuerunt alii experientissimi viri, uti Ætmullerus, ante Boerhaavii tempora præsertim. Illa vero, quia longe magis irritando nocerent, quam resolvendo prodessent, universim rejecta sunt a Posteris, non autem ad experimentum vocata.

Satis quidem patet morbi hujus essentia, quam magis magisq: expiscando incubuerunt hactenus ingeniosissimi Theoretici. Patet quæ deberet esse virtus specifica remedii, ut morbum destrueret. Ejusmodi remedium desideratur. Validiora igitur, quibus in præsens unanimiter confugimus, antiphlogistica artis præsidia, sunt phlebotomiæ imprimis, aqua, & vesicantia. Hisce tamen omnibus furentis morbi vim sæpe sæpius neq: frangi, neq: cohiberi aperte cognoscimus.

§. VI.

§. VI.

In multiplicitate remediorum, atque systematum, quid pro scopo nostro considerare sufficiat.

INutile hic fortasse non foret opinionum, atque systematum, quæ de inflammationum origine, & remediis fuerunt hactenus excogitata, ordinem, & diversitatem per summa capita attingere. Sed hæc in Scholis pertractanda relinquimus. Satis est pro scopo nostro considerare, in certo remediorum genere Sapientiores Clinicos ab observatione effectuum adductos reposuisse potissimam vim curationis antiphlogisticæ; & in ea essentiali re, quæ respondet clinicis determinationibus, systemata, licet inter se diversa, plane convenire.

§. VII.

Interim cur admittenda esse videantur, potius varia systemata, quam unum.

SYstematum varietas, mea quidem sententia, non inutilis esset habenda: neque, pace tot virorum, hoc vel illud unice amplecterer, &, cætera rejiciendo, defenderem. Cum enim observemus in praxi diversas inflammationum species, & diversa phænomena, quæ illas præcedunt, comitantur, subsequuntur; ità nihil rationi magis consonum videtur, quam ut illæ diversimodo oriantur, agant, & sedes diversas possint occupare. Inflammationem præterea possunt inferre tam frigus hyemale, venena, & myasmata aeris coagulativa, quam insolatio, calor æstivus, venena, & myasmata colliquativa. An non effectus immediati ejusmodi causarum, quæ di-

directe inter se plane opponuntur, cum in solidis, tum in fluidis debent produci diversi?

§. VIII.

Quoties spirituoso potu, sive quavis causa coagulante sanguis condensatur, quin multiplicemus entia sine necessitate, nihil sane fiet facilius, quam illius sanguinis remora, & stagnatio in convergente arteriarum extremitate. Celebre hoc systema Boerhaavianum non videtur protinus esse contemnendum. Nisi enim major impetus retrourgentis undæ supponi queat, satis foret, provocari oscillationem membranarum arteriæ a contento stagnante humore, nec ne acri, quo producerentur calor, & reliqua inflammationis symptomata.

Nonnullæ obiter afferuntur rerum differentiæ, quarum aliquæ ex. gr. maxime responderent systemati Boer., *aliquæ neutiquam, sed diversa systemata postularent.*

Juxta systema modo laudatum ortæ inflammationes erunt fortasse illæ, quæ locum suum firmiter occupant. Unde etiam inflammationes, quæ firmiter locum suum tenent, atque resident in vasis, tutius vincuntur resolventibus. Sed erysipelata, æque ac inflammationes biliosæ, quæ solent sensim serpere, omni libertate vagari, atque ex una ad aliam partem decedere, non ne videntur potius in cellulari residere, minus coaguli referre, adeoque diversimodo oriri?

Proprius est inflammationis tumor: verum in anginis malignis hic minime observatur, quasi acre subtile inflammatorium adhæreret parietibus vasorum, & vix interciperet transitum circumfluentis san-

sanguinis. Desunt denique malignis inflammationibus alia consueta phlogistici signa, coagulum deest, imò fluida vergunt in colliquamentum: an ergo dicendum istas enasci, & agere æque ac reliquas coaguli?

Particulares inflammationes febrium periodicarum singula accessione quemadmodum insurgunt, sic mirabiliter declinatione evanescunt; quasi excitarentur fugaci irritamento, & constrictione nervorum. Toties fiunt anginæ, pleuritides, earumque in ortu inducitur febris; toties vicissim incipit febris, & post aliquem diem efformantur anginæ, pleuritides essentiales veri phlogistici characteris.

§. IX.

Aliis quoque practicis observationibus respondere videtur varietus systematum.

PRO diversa indole humeris inflammatorii aliqua sane differentia intercedere deberet inter sedem, & sedem, generationem, & generationem ejus morbi. Videmus in praxi rite distinguendum nobis esse, an inflammatio sit sanguinea, vel erysipelatosa, biliosa, an serosa, pituitosa, vel rheumatica, an denique sui generis acris. Suam enim cuique speciei aptare debemus magis propriam methodum, qua singularum naturam facilius evinci docuit experientia. Videmus hujus, aut illius speciei magis proprium exitum in resolutionem, vel in scyrrhum in suppurationem, aut gangrænam. Erysipelata raro suppurant. Pleræque pleuritides facilius per anacatharsim judi-

di-

dicantur, aliæ per diuresim, biliosæ per alvum, malignæ in gangrænam facile abeunt. Pleuritides pistorum, observatore Ramazino, breviter copioso erumpente sudore solvuntur. Excruciant vero animos Medicorum, eo quod resolventibus auxiliis resistere pervicaciter soleant, atque nascuntur ab acri humore, podagroso, arthritico, scabioso. Angina arthritica Musgrave facile in abscessum desinit cum copioso pure, & vices arthritidis explet.

Animadversione denique dignum illud habemus: vult Hippocrates eatenus perdiscendum esse, an multum differant dolores, & in lateribus, & in pectoribus, & in aliis partibus: quasi moneat, præter cæteras rationes, quas in praxi habere debemus, penitius investigandam esse variam phlogistici naturam per fortem illam spontaneam inclinationem, qua unusquisque morbosus humor singulariter invadit magis hanc, quam illam corporis partem, potius fauces, quam pectus, aut caput, potius exteriora, quam interiora corporis ad instar quorumdam remediorum, atque venenorum.

Tum & Hippoc: *præcepto singulari.*

§. X.

Quidquid sit de hisce rerum differentiis, spectandum est nobis, uti diximus, id, quod essentiale comperitur universim in cunctis inflammationibus, præter malignas: id, in quo conveniunt Practici, nec non Theoretici. Pro certo au-

De iis essentialibus, quæ constanter in omnibus inflamationibus comperantur.

autem exploratoque habetur ab utrisque, illud essentiale atque commune cuique morbo inflammatorio esse *fluidorum remoram*, *atque coagulum*. Præterquam quod commonstratur utrumque qualitate quorumdam signorum, & cujusque morbi secundarii, præsertim scyrrhi, tum autopsiis locupletissime; satis superque patet illud ex notabiliori juvamine resolventium atque moventium. Constanti effectuum observatione, quæ nunquam fallit Medicum, quæque tantum ducebat Proceres nostros ad agendum, atque argumentandum, edoctus ipse Medicinæ Parens Hippocrates idem apprime cognovit, quod in præsens ab omnibus experitur. Scilicet „ *in libris de* „ *glandulis*, *de locis in homine*, *& de internis af-* „ *fectionibus* „ ubi loquitur ille de angina, pleuritide, pulmonia, de inflammationibus, non desinit accusare signanter hisce verbis, *Sanguinem affixum*, *attractum*, *coactum*, *compactum*, *sanguinem acceptum*, *qui retineatur*, *humorem*, *qui influxerit*, *qui permanserit*, *qui persistat*.

§. XI.

Difficultas curandi radicitus inflamationes non pendet ab ulla obscuritate illarum essentiæ.

ALlata morbi essentia abunde patet, & a nemine saniorum in dubium revocatur. Sed, non hoc opus, non hic labor. Summa est in assequendo resolutionem coagulati, & motum fluidi remorantis. Neque nos eludat amor erga theorias, quasi dicam, Harvæjanas; laxantia siquidem fibram, & refringentia impetum sanguinis arteriosi, quidquid ar-

arguat Opinator quivis, ipsis Matthæo Giorgi, & Bellino subtilior, non tentant virtute sua intrinseca, velut medicamen resolvens, aut paucis dicam, non valent ex se attenuare condensatum, & movere stagnantem humorem, sed opus hoc naturæ committunt. Secus phlebotomia, potissimum inter illa remedium, vel maximo Helvetiano studio celebrata frequentius, & facilius pervenire deberet ad superandum id genus morbi, cum non pervenerit juxta Sydenhamianam methodum adhibita: quod ejusmodi curationum eventus non probant. Neque enim celeberrimi Clinici diuturna experientia tantum adducti acquiescerent tandem certo cuidam numero phlebotomiarum, etsi morbus ulterius progrediatur.

Quæ laxant fibram, & reprimunt impetum sanguinis, non aggrediuntur coagulum, & remorem sanguinis.

§. XII.

Ingenue quidem fateri debemus, in defectu remedii virtute sua vere resolventis, nimirum deficiente ratione curandi, ut ajunt, radicativa, nil aliud melius, & tutius hactenus compertum fuisse, quominus hoc morbo eripiantur, quoad fieri possit, ægroti, nisi ut symptomatum vis cohibeatur. Quoniam vero a vita superstite producuntur ea symptomata, ubi adest stagnatio; hinc debemus ingenue fateri, hactenus opportunum fuisse, majori studio laxare fibram, & reprimere cruoris impetum, quo debilitaretur vita, eaque redderetur minus, ac fieri poterat, actuosa.

Cur tamen eorū usus maxime necessarius hactenus fuerit.

§. XIII.

Ejusmodi debilitantium usus, præterquam quod non aggreditur essentiam morbi, fieri potest periculosus.

INterea igitur ejusmodi debilitantia consideranda sunt potius, utpote palliativa, neque directa morbi causæ: quam, superest, ut natura debellet, vel, si accedat, virtus remedii resolventis. Propterea vires concedendæ sunt naturæ, ad hoc ut ipsa, vel etiam resolvens antiphlogisticum, possit agere, nimirum attenuare, movere, & expellere, sive commutare phlogisticam materiem in sanum inquilinum fluidum; nullum enim remedium agit in corpore, nisi vires proprias natura suppeditet. Debemus itaque ponderare usum eorum debilitantium. Oportet debilitare vitam, quo vis symptomatum cohibeatur: non oportet debilitare, quo vis vitæ, aptumque remedium valeat morbi essentiam superare. Res hæc alea est periculo plena. Solertia alicujus Polydædali non omnibus inest. Ab usu proficuo ad abusum vix gradus intercedit. Idem remedium, quod usque ad sextum gradum debilitando contulerit, in septimo nocebit, occidet. Quoties ne pulsus, quibus innituntur, lusores demum improviso fefellit? Quoties ne in quibusdam naturæ conatibus rem omnem phlebotomia exterminavit?

§. XIV.

§. XIV.

In angustam profecto nimis nos constringeremur methodum, si progrederemur innixi solis laxantibus, atque refringentibus impetum fluidorum. Observamus denique curandis inflammationibus conducere tam ea, quæ laxant, quam quæ irritant, & quodam do fibram adstringunt: tam quæ reprimunt, quam ea, quæ cient impetum fluidorum. Proficuus usus vesicantium, & quorumdam salium, uti camphoræ apud aliquos, præ usu item perutili calidæ, sanguinis emissionum, & olei, præbet earum propositionum exemplum, atque argumentum. Repellentibus atque discutientibus sanantur aliquando inflammationes, velut ophtalmiæ. Partes inflammatæ hyemali gelu, si confricentur gelida, mirabiliter morbo liberantur, quemadmodum experiri solent incolæ plagæ Septentrionalis.

Experientia aliunde docet, juvare quæ cōtraria sunt laxantibus, atque refrigerātibus.

§. XV.

Ad hoc ut ergo sanentur morbi phlogistici, videmus illud satis esse, imò necessarium, & absolute spectandum, atque statuendum, tanquam inter leges Hippocraticas: nempe (I.°) *dissolvere* id, quod compactum est: (II.°) *movere*, quæ stagnant: (III.°) dissoluta, & in motum hæc adacta, nisi redigi queant in sanum inquilinum meabile fluidum, ea utpote turgentia edu-

Quæ igitur debeant esse leges curationis antiphlogisticæ.

educere. Prima, & altera lex absolute, ac necessario spectanda: tertia autem plerumque.

§. XVI.

Cur tertia Lex perraro possit omitti, præsertim in nostris Regionibus. De hac ratione nõnulla practica argumenta.

NAmque perraro evenit perfecta resolutio absque crisibus: Vix quandoque in corpore juvenili, nulla labe infecto, optimeque temperamento prædito, quod præterea levi de causa contrahxerit minus gravem inflammationem. In hisce autem nostris Regionibus, ubi valde viget temperamentum cachochimicum, aliaque adversa conjungi ut plurimum solent, istiusmodi spei sæpissime desiderantur fundamenta. Et re quidem vera, quam pauci ejusmodi ægrotantes sanantur curriculo quatuor dierum, quod temporis circiter spatium experientia præscribit perfectæ inflammationum resolutioni! Quam pauciores inter illos absque crisibus convalescunt! Quæcumque enim vel maxime faveant, inflammatorius humor, etiamsi præpolluerit pura sanissima indole, progressu tamen temporis propter continuam pressionem, febrim, calorem, remoram, & fluidioris transfluxum, fieri non potest, quominus ille degeneret, & naturæ inimicus immutabilis evadat. Id facile fieri, docet frequentia, qua putridum fluidorum superaccedere solet acutis. Cuiquam sane arrideret perfecta inflammatorii morbi resolutio. Cuiquam ea est maximæ curæ. Sed Professores experientissimi, vix atque observant acutissimam febrim progredi ultra quindecim, aut viginti horas, & certio-

tiores facti fuerint de qualitate humorum parum blanda, solent præfatum exitum desperare. Vanum est plerumque confidere perfectæ resolutioni. Quid „

„ *Si non audaci cedit fiducia Turno!*

Experientia quotidiana satis patet, quam necessariæ sint ad sanationem hujus magni morbi variæ excretiones humorum, aut per diuresim, aut per anacatharsim, excreationem, diaphoresim, aut per alvi solutionem pro natura partis affectæ, & phlogisticæ materiei. Hæc nobis apprime tradita quoque sunt a Proceribus nostris; Natura enim semper eadem fuit, & constanter easdem leges semper retinuit. Galenus, qui ausit profusa sanguinis èmissione jugulare febrim, memoriæ tradidit, parvos morbos tantummodo solvi posse, at magnos omnino judicari. Imo raro fit, addi potest cum Jacotio celeberrimo Hippocratico, ut in ægris una crisi morbus terminetur, nisi quod effæti supersit, subveniente Medico, expurgetur. Pluribus enim crisibus, ac diversis, ut sudore, hæmorragia, alvi fluxione, urinis sæpius est opus pro materiæ morbosæ varietate, febris vi, & habitu corporis, præsertim cum materia minus obsequiosa est, meatuum adest obstructio, & ægri vires elanguent.

§. XVII.

§. XVII.

An ideo liceat inniti solis remediis, quæ laxant fibram, & reprimunt ſanguinis impetum? Exempli paritas.

IN curandis igitur morbis inflammatoriis plurimi æſtimanda esse videtur cum phlogiſtici, tum aliorum humorum depravatæ indolis, qui facile conjunguntur, subactio, & opportuna expulsio. Remedia vero, quæ laxant fibram, & reprimunt sanguinis impetum, cum nequeant ex se dissolvere compactos, ac ſtagnantes movere, neque poterunt morbosos humores eliminare. Damnandus esse profecto videretur, qui in meteorismo imi ventris putridarum producto a prava biliosorum saburra, quin eorum expulsioni satis consuleret, sese totum daret usui fotuum, atque emollientium. Non spectat huc in judicium descendere, an jure taxentur ſotus in tali casu. Quod nos quidem observavimus, illud eſt: usum gelidæ maximopere interdum nocuisse, meteorismo increscente, & reliquis symptomatibus exasperatis: (I.°), cum ageretur de corporibus præditis fibra valde sensibili, irritabili, & nervorum conſtrictionibus levem ob causam obnoxiis, cujusmodi multa in noſtris Regionibus inveniuntur: (II.°), cum humores corrupti deſluerent per crisim a vasibus in intestina. Ut u ad exempli paritatem vertamus, Magister artis licet prohibuisset purgantia in febribus fortibus, pharmacum tamen imperavit filio Pythonis in Pela ſebri forti laboranti, eo quod afficeretur hic alvi intumescentia cito post deonerationem redeunte, & stipata sopore, uti solet obser-

observari . Ope pharmaci biliosa egestio erupit, omnia leviora facta sunt, & decimaquarta die fuit æger judicatus.

§. XVIII.

Quam verum sit, remedia generis indicati imparia esse hujus morbi magnitudini. & necessarium esse resolvens natura sua vere actuosum, Auctores Practici ostenderunt.

FAcile probatur, Practicos cognovisse imparem viribus hujus morbi solum usum evacuantium, & exindè necessitatem in arte medica remedii, cujus actio dirigeretur destructioni causæ morbi; etenim in hujuscemodi remedium inquisierunt; Non adducam specifica Helmontiana, quædam pulverulenta, remedia quasi dicam Riveliriana, quæque inter alios adhibebat Trillerus, nisi præmissæ propositionis argumento; Quoniam innotescit, emanata sententia acceptissimi viri Lodovici Trallesii, illa omnia, tanquam futilia, vel nocua exulata omnino fuisse. Sed perquisita fuisse remedia vere actuosa, quæ scilicet strenua pollerent propria virtute resolventi, arguimus præ cæteris ex spiritibus urinosis, salibusque volatilibus, quæ Ætmullerus, & Sylvius de le Boè commendaverunt. Rotarius non multos ante hos annos conatus fuit demonstrare Medicorum vulgo summam ejusmodi resolventium necessitatem in huic morbi generi medendo. Immò non dubitavit hic Auctor audacter redarguere Medicos, eo quod ipsi omni studio, & cura versarentur phlebotomiis, laxantibus, atque refrigerantibus, cum negligerent interim opus maximum explendi necessarias, & essentiales indicationes.

§. XIX.

Aliquid de majoribus resolventibus hactenus prolatis.

QUoad prolata resolventia cæteroquin: omnes pro certo habent, magnam inesse vim solvendi ejusmodi salibus, atque spiritibus; experientia tamen constat, hæc notabiliter irritare; quamobrem sese acriter oppcsuerunt Boerhaaviani. Nos animadvertimus, longe majus, & promptius in praxi comperiri illorum irritamentum, quam effectus virtutis solventis deprehendatur; ita ut, si ob hanc adaugendam, quemadmodum postularet brevis, & periculosus morbi cursus, in largiori dosi perhiberentur, nocere illa procul dubio deberent nimis irritando. Reliquum, exemplo cantharidum, non respuenda fuissent illa causa alicujus irritationis in genere; dummodo solutio major, & magis sollicita huic irritationi responderet. Neque præterea obstare nobis visa fuisset præsupposita illorum salium septicitas: (veluti sentiebat egregius Auctor inter adversarios, antequam ederentur in lucem pernota experimenta cl. Pringle), quin imò utilia idcirco reputari debüissent. Oppugnanti quippe densitatem quærendum crederemus potius, & inducendum principium solutionis humorum. Ista enim duo sunt inter se contraria: neque familiare videtur, affectiones vere phlogisticas in colliquativas commutari: & tunc cum abituræ sunt illæ in gangrænam, non præcedunt ulla colliquamenti, verum signa magis magisque adauctarum densitatum, atque stagnationum.

Neque septicitas, neque irritatio in genere videri debuissent sufficiens ratio illa confutandi.

§. XX.

§. XX.

AUctoris cujusdam sententia est ipso sanguine pleuritico in phlogisticis morbis imminentem colliquationem indicari. Unusquisque porrò facile intelligit, concrescente, & attracta parte cruoris fibrosa, reliquæ fluidioris miscelam respui; hinc ratione hujus sanguinis fluidioris partis, quæ separata conservat circulationem, considerari quodammodo posset sanguis, qui circulat, dissolutus. Hic tamen effectus est coaguli persistentis, & præterquam quod non recensendus is mortis causa, veluti coagulum; nunquam demum corrigeretur, nisi per resolventia dirigendo curationem causæ. Cum an: 1773. æstivo tempore grassarentur in Civitate Brachitnensi variolæ, quæ magna ex parte vergebant in malignum colliquativum, compertum fuit, variolas ejusmodi perniciosi characteris neminem eorum sustulisse, quorum sanguis eductus phlogistica crusta obtegeretur. Sciendum autem, multis indiscriminatim sectam fuisse venam, antequam nos accerseremur.

Hinc pertransenntur de sententia illa: scilicet cuticula phlogistica indicari sanguinis colliquationem.

Observatio facta in variolosis, qua sola contrarium evincit.

§. XXI.

AD sermonem nostrum redeamus de cognita necessitate resolventis antiphlogistici: animadversione autem dignum: a Recentioribus nostris commendatum maximopere fuisse usum camphoræ: nunc autem Spiritum Mindereri. Camphora, sal illud sui gene-

Quam parvi æstimentur resolventia antiphlogistica, quæ hodie in usum revocantur: camphora singulariter.

generis alioquin penetrans, cum in agendo plurimum irritet vasorum fibras, fortasse damnata fuisset absolute in similibus curationibus, si Boerhaaviani quidam revivixissent. Illa revera juxta observationem effectuum longe magis irritat, quam solvat: imò quam evidens est ejus irritatio, tam obscura virtus resolvendi. Unde sæpe cogit, quod multi ægro animo ferunt, ad reiterandam aliquam aliam phlebotomiam, cum pulsus exasperet, induretque. Ab expertis autem prudentibus Clinicis consultum ducitur, ejus usum universim arcere, donec vis magna febris appareat, pulsus nimis vibrent, & maxime vigeat inflammatio. Tum quoque camphora, ut ut anodinum sit in exigua dosi, in aliqua tamen & magis usitata nervos facile lædit; quamobrem plerique nostrorum consuescunt sese abstinere ab ejus usu, ne dum in mulieribus, sed in iis quoque viris, qui affectioni hypocondriacæ, & convulsionibus subiiciuntur. Quam facile in multis fit capitis dolor a solo camphoræ odore! Nostris enim hisce temporibus sub cœlo Romano summa nervosi systematis mobilitas ne dum omnibus fere fœminis, sed multis quoque viris quasi congenita esse videtur. Si denique verum fateri velimus, nostri Clinici in præsens utuntur camphora, uti nitro, stibio diaphoretico non abluto, quia inter resolventia antiphlogistica nihil melius adhuc innotuit. Levis cæteroquin est fides, quam iis omnibus præstare solent; ita ut vel ægroto, vel adstanti ejusmodi resolventium usum renuenti, omnis fere Medicus libenter assentiat; molles enim,

& iner-

& inertes cunei sunt illi, si ad coaguli phlogistici durum Herculeum nodum referantur.

De Spiritu Mindereri, nos omnes profecto, qui hoc usi sumus in rheumatismos præcipue, ubi effectus magis patuissent, non possumus certo adducere felicem unam curationem, ne dicam proficuum aliquem notabilem effectum, non secus ac de cæteris modo indicatis resolventibus. Quamquam certiores facti fuerimus de compositione illius spiritus rite peracta hinc per oleum tartari, illinc per spiritum vitrioli.

Et Spiritus Mindereri.

§. XXII.

Resolventia antiphlogistica hactenus usitata, nisi indole sua magis, quam solvant, irritando noceant, possunt, quia posse videntur. Equidem puto, actionem paulo magis manifestam, & tutam simplicis mellis, quod erat apud Vetustiores Antiphlogisticum, præsuppositam virtutem eorum omnium facile superare. Aut satius dicam: mera aqua virtute sua diluenti, inter hæc omnia quasi antecellit.

Resolventia hactenus usitata, aut magis nocent, quam solvant, aut minus fortasse valent, quam aqua.

§. XXIII.

Cantharidum vero efficacia in solvendo procul dubio præripit palmam, earumque ope quasi unanimiter hisce temporibus Medici omnes innituntur; illud enim, quod toties per cætera artis præsidia, sive directe, sive indirecte morbum oppugnantia fru-

Vesicantium tamē usus maxime necessarius, etsi sæpe inefficax.

frustra moliebamur, extemplo per vesicantia obtinuimus. Patent proficui eorum effectus. Dolendum nihilominus, vesicantium ope non obstante non paucos ægrotantes interire.

§. XXIV.

Nihilominus advertendum est ad actionem, & efficaciam antiphlogisticam cantharidū. Cur? & de ingressu earum in vasa.

VEsicantium tamen actio, & efficacia summa antiphlogistica, si perpendantur, duo hæc utilia nobis inferre possent. facem ad inquirendum, & majorem animum ad experiendum solvens vere actuosum. Neque enim dubitamus cum nostro cl. Baglivo, quin acerrima cantharidum salia introducantur in vasa, eaque sint, quibus in circulum actis phlogistica stagnatio resolvatur. Illi autem, qui secus opinari volunt, atque irritamento partis, cui applicantur vesicantia, tribuunt fere omnem effectum, illi inquam, plus genii, quam ingenii ostendere videntur. Etenim, (I.°) eamdem stranguriam, quam afferunt cantharides per os assumptæ, ab usu vesicantium excitari videmus. Synapismata (II.°), quæ ampliorem situm occupant, si diutius, quam æquum sit, relinquantur usque ad vesicarum elevationem, quantumvis irritent, non exerunt tamen irritando eosdem effectus, ac vesicantia. Phænomena (III.°) irritamenti fibrarum universalis oriuntur sæpe nova, veluti stranguria, & majora post emplastri vesicatorii ablationem. Vesicantia (IV.°) applicata parti affectæ efficaciora crebro experimur, quam quæ apponuntur dissito loco. Vesicantia (V.°) no-

nocent iis in putridis, morbisque, in quibus eminet sanguinis colliquatio. Cur hæc? Raro (VI.°) contingit inflammationis resolutio eo brevi horarum curriculo, quo agit vesicatorium, quando major viget stimulus, & fluidorum affluxus major partem versus irritatam: Supponere (VII.°) denique non possumus, virtute irritamenti, quod hinc fit in parte vesicanti obsessa, produci illinc absolute in inflammato viscere effectus veluti antispasmodicos, laxari vasa, & revelli impetum, copiamque fluidorum, eaque de causa solvi inflammationem; quoniam dijudicare debemus, id quod inde accidit arteriis radialibus, reliquis quoque accidere vasibus nostri corporis, nec non iis affecti visceris. Tactu autem percipimus pulsus non laxatos, sed plerumque magis, quam antea, irritatos: nedum toto temporis spatio, donec emplastrum agit, verum etiam imposterum, cum illud nondum agit, die sequenti, & aliquando tertio. Hæc, & alia, pace dissentientium, Baglivianum judicium comprobare videntur. Nos cum eruditissimo Scaligero, non nobis, neque nostris Auctoribus „ *Sed rationi, aut quæ ratio esse videtur; militamus, securi quod mordicus hic tenet, aut hic* „.

Irritant notabiliter, & in motū adigunt cantharides, sunt tamen antiphlogisticæ. Quid ergo sentiendū de indicationibus laxandi, & impetum sanguinis sedandi: tum de contrariis?

§. XXV.

Docent utique Boerhaaviana præcepta in curandis inflammationibus laxandum esse, monent ne irritetur fibra, atque ut religiose caveamus a lædendo vasorum integritatem. Medicis quibusdam, qui

qui acceperant indicationem laxandi pro essentiali, primaria, & generaliter firmanda, aut satius dicam, quibus illæ simul propositiones incusserant metum æquo fortasse majorem, piaculum videbatur, si revocarentur in usum irritantia, & aliquanto moventia; hinc ægre ferebant usum vesicantium, maxime autem, cum id audirent, super partem affectam. Methodi tamen hujus; quam debemus egregiis in praxi, ideoque numquam satis laudandis, Professoribus Anglis, felicitatem quotidiana monstrat experientia. Cantharides notabiliter in genere irritant; resolvendis tamen inflammationibus magnopere conferunt. Toties crustam phlogisticam pervicaciter renitentem reiteratis sanguinis emissionibus, actione demum cantharidum evanuisse vidimus. Adeo profecto non juvarent vesicantia, nisi indicatio attenuandi, & movendi essentialis esset, & maximi momenti; illa vero laxandi minoris.. Insignis experta utilitas cantharidum, & aliunde ipsarum irritatio evincunt, quemadmodum primariam indicationem ratione alterius prætermitti non debere, ita potius alteram dirimi posse ratione primariæ.

Nonnulla exempla practica ad expellendam formidinē adhibendi resolvens actuosum, quod urgeat, vel irritet.

§. XXVI.

Qui obstipo capite, & figentes lumine terram contrarium placitum veluti mordicus tueri non desinent, deponant, meo quidem judicio, spem inveniendi resolvens vere activum, quod, ut agat, aliquomodo, vel urgere, vel irritare debebit,

bebit, nec adeo quidem levi vi, ac nitrum. Videmus eos, qui ob curandos diuturnos, & frequentes imi ventris dolores, versantur in emollientibus, lenientibus, & eccoproticis, metuentes irritamentum, oleum plerumque, & operam perdere. Quod si ad fortiora cathartica confugiant, ægrotantes inposterum liberant ab ejusmodi morbi vexationibus. Post sanatas febres intermittentes cortice peruviano nonnulli pertimescunt usum purgantium, eo quod Auctor aliquis indicarit, illorum actione protinus redituram esse febrim. Nos cæteroquin oppositam rem experiri videmur: neque indubitavimus tot ejusmodi convalescentes juxta indicationem perpurgare, quoties oportuit: quod, ad evitandas ipsas recidivas, feliciter contigit. Noluerunt hactenus Proceres nostri tangere cancros: innixi nos praxi Viventii celeberrimi Archiatri Regii Neapolitani, sanatos observavimus eos sublimato corrosivo: alii, quibus familiariter utor, ductu Archiatri summi Augusti Storck contenti fuerunt usu extracti cicutæ. Non is ego sum, qui audaciam in Medicina laudem: *non temere, non timide*.

§. XXVII.

Argumenta, quæ postulant transeundum esse ad fortiorem curationem: Et qualis debeat esse ejus virtus.

EXulata arte egregie imponendi credulo vulgo per usum futilium medicaminum, expellatur quoque cum ea nescio quod studium consulendi magis propriæ, quam ægrorum utilitati. Notum enim est, quod si quis absit à remediis usualibus in curandis morbis, facile in reliquorum incidat con-

D tra-

trarietates. Juxta præcepta ipsius Hippocratis, qui decoris Professorum cultor non rudis fuisse videtur, oportet, ut pro viribus nostris etiam atque etiam naturæ opitulemur, ut in magnis morbis, renitentibus consuetis remediis, etiamsi fortibus, ad majora, ad fortiora confugiamus. Si virtus curationis nostræ antiphlogisticæ sæpe sæpius minime pervenit ad obtinendam morbi sanationem, virtus, quam ultima necessitas excutit, cur non acrior? Si tot ægrotantes in singulos annos pereunt, & usitata hactenus sive directa, sive indirecta resolventia multoties nihil egerint, non video quid supersit, nisi ut ad majora solventia confugiatur. Quotiescumque inflammatio superat artem, & ægros interimit, minor procul dubio erit virtus quomodocumque resolvens phlebotomiæ, vesicantium, aquæ, camphoræ, & cæterorum, quæ soleant unquam adhiberi: major viceversa morbi vis opposita, nimirum densitas, stagnatio, adhærentia inflammatorii humoris in affecta parte: aut saltem, deerit directe resolventibus sufficiens vis, & aptitudo penetrandi canaliculos, vel cellulas, ubi morbosus humor remoratur. Fortiori ergo coagulo, stagnationi, adhærentiæ humoris, difficiliori penetrabilitati canalium, sive cellularum opponatur validius, & efficacius penetrans, movens, resolvens. Profecto resolvens actuosum magis magisque acceptum deberet esse iis, qui collimare vellent toto inflammationis progressu perfectam resolutionem: qui negligerent rationem habendam excretioni phlogistici humoris: quique leges non sequi, sed

sed violenter præscribere vellent naturæ, eique audacter repugnare, seu more Gigantum, ut cum Cicerone loquar, bellare cum Diis. Quod si spectetur excretio phlogistici humoris, quam rem necessariam ut plurimum esse observant experientissimi Clinici, ecce alia additur valida ratio, quare contenti esse non debeamus consuetis remediis, verum coacti nos vertere ad aliud, quod virtute sua expultrice valeat etiam phlogisticos morbosos humores eliminare.

§. XXVIII.

Facilius minerale regnum, quam animale, vel vegetabile, potest suppeditare remediū ejus virtutis, quae requiritur.

EJusmodi vero potens remedium efficaciter penetrans, resolvens, movens, expellens difficulter inveniri posse videtur in vegetabili, aut animali regno; talia enim citius, vel serius in corpore subigi observamus, subactaque sive eliminantur, sive in inquilinum fluidum commutantur, suamque pristinam virtutem amittunt. Quapropter inquirendum esset inter mineralia, quæ strenue resistunt viribus vasorum, & fluidorum assimilantibus, vel alterantibus, diutius remanent in corpore, immutataque conservare solent propriam eamdem naturam, & agendi virtutem.

§. XXIX.

An Mercurii usus ad rem nostram faciat?

VUlgo satis innotescit virtus egregia singularis penetrandi, & solvendi, quæ mercurialibus inest. Mercurium interim, hæc dum mecum ipse cogita-

 rem,

rem , non tutum credebam ; Etenim , licet ejus vires minime repetamus cum Pitcarnianis a pondere , atque divisibilitate , at plerumque ab occulta propria qualitate ; hoc minerale tamen nobis est habendum absolute pro gravissimo corpore . Nimis autem certum exploratumque Physicis est , vim motus , qua feruntur corpora , fieri in ratione directa massæ ducta in simplicem velocitatem ; quare Physico - Medici prudentis esset in curandis acutis inflammatoriis , metuere grave aliquod detrimentum ex ingenti momento motus mercurii in infarcta vasa , vel cellulas . Quid si addamus proprietatem eam (quæ per hydrostaticam quoq: potest explicari) , qua hoc minerale vergendo ad superiora valde impetit caput ! An parvi æstimanda est alia vis , qua globuli mercurii crudi vel in corpore humano , & in ipsis fortasse sanguinis vasis , sese attrahentes conjunguntur ? Non semel quippe vidimus post exenterata cadavera hominum , in quibus multos ante annos unctiones mercuriales fuerant institutæ , non paucas mercurii collectiones per cellulas ossium cranii dispersas .

Quod si ad eum scopum imminuendi impetum refringeretur consueta dosis mercurii sive dulcis , sive crudi , tunc aliunde illius solvendi vires elanguerent . Cum autem agatur de morbis , qui breviter decurrunt , oporteret viceversa , ut potius , si fieri posset , adaugeretur quantitas remedii , ad hoc ut citò citius resolveret . Sed quanto majora damna !

§. XXX.

§. XXX.

HÆc omnia, quæ hactenus exposui, aliaque perpendenti mihi sese offerebant occasiones observandi supremam, mirabilemque in resolvendo virtutem sublimati Corrosivi, quo utebar contra luem celticam ab anno 1768. Varia in hoc remedio arridebant mihi. Comparatis siquidem hujusmodi curationibus cum aliis ope mercurii dulcis peractis, evidenter apparet multo promptior resolvendi virtus in sublimato. Me quoque oblectabat modificatio illa, & summa divisibilitas ei ab arte Chemica inducta, unde per aquam, secus ac mercurius, facile sublimatum dispergitur, quin fundum petat. Qualitas hæc physice considerata ad rem nostram maximopere facit. Illud denique habebam plurimi: scilicet, in adhibendo sublimato, exhiberi longe minorem mercurii dosim; Etenim sublimato utimur pro unaquaq: die ad granum unum. Cum autem granum hujus efficiat in solvendo magis, quam viginti grana mercurii, oporteret, ad obtinendum consimilem resolutionis effectum, ut plusquam viginti grana mercurii sumerent ægri in singulos dies. Ecquid vero perquirendum esse animadvertebamus in antecedenti paragrapho circa curationem morbi inflammatorii? Habemus in grano sublimati relative ad viginti grana mercurii imminutum impetum per vasa, & singularem impetum ad caput, circiter ut viginti ad unum: viceversa in grano sublimati ad granum mercurii vigecuplam

Maxime favent nonnulla animadversa de sublimati qualitatibus, & effectibus.

saltem

saltem comperimus solvendi virtutem: Non ne utrumque in casu nostro utilissimum?

Porro Syphillidis arthritides, rheumatismi, tumores, tophi, nodi, exostoses, præter alia ejus morbi flagella mirabiliter heroico remedio resolvuntur. Universim pulsus ea ratione, qua progreditur curatio, fiunt in genere meliores, evidentemque mollitiem acquirunt. Neque ullum notabile damnum ab usu prudenti hujus remedii emanat præter aliqualem molestiam & ardorem stomaci in nonnullis, aut levem tussiculam, & nescio quam pectoris siccitatem, quibus opportune applicata remediola consulunt. Quidam, sub hyemem præsertim, tulerunt ptyalismum, aut etiam exulcerationes oris, gengivarum, similesque affectiones: Sed isti ægri plerumque, uti deteximus, mercurium antea adhibuerant. Inficiari tamen non debemus, vel ex dosi largiori, vel ex diuturniori usu sublimati in quibusdam præsertim corporibus oriri posse indicatas affectiones: maxime autem, si potionum usus non sit satis copiosus, vel si lubricitas alvi sub usu remedii non obtineatur. Utcumq: sit, si quæ incommoda affectio suboriatur, solet hæc produci a diuturna continuatione remedii, adeoq: vix in curatione chronicorum posset objurgari.

Neque obstant quã dã incommoda ab ejus usu directe vel indirecte provenientia.

§. XXXI.

Tentatur usus sublimati in celticis febricitantibus. Utiles effectus inde observati: circa pulsus speciatim.

INterea temporis, quo curationes celticorum instituebam, non raro factum est, ut illi aggrederentur febribus irregularis typi, uti solet, sive inter-

interdum simplicibus Synochis. Equidem, licet anceps, volui tamen continuare tunc usum remedii: attente interim cavendo, ne ulla induceretur noxa. Contra vero observavi exinde pulsus magis molles, amplos, & undosos, febresque citius, & felicius cum sudore profuso evanescere. Post hæc vidi talia tentamina respondere Friccii observatis, quæ docent curari mercurio corrosivo febres intermittentes.

§. XXXII.

Proficuus inde experitur usus remedii in inflammationibus propriis morbi celtici: tunc cum cl. Vanswiet. consultum ducebat illius usui supersedere.

DUm cl. Vanswietenius refert curationem feliciter institutam ope hujus remedii in nobili Juvene, cui post ophtalmiam pessime tractatam utraque cornea, uti & utraque lens crystallina opaca manserat, res occurrit, quam adnotari vellem. Auctor nimirum consultum ducebat supersedere usui remedii tunc, cum ophtalmia recrudesceret. Ipse autem exoptabam similes casus inflammationum in syphilliticis, animo profecto tentandi tunc istiusmodi remedii continuationem.

Quæ igitur mente sæpe volvebam, ea cito obvenerunt: casus nimirum observandi, quomodo se gererent phymoses, bubones inflammatorii, inflammationes circa ulcera, ophtalmiæ, dum ipsi celtici pergerent in usu remedii. Comparavi autem in praxi, inflammationes ejusmodi ne' dum nullimodo exasperari, at feliciter evanescere: imò breviori tempore, cum in majori dosi remedium adhiberem.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Comparatur in praxi insignis efficacia Sublimati in cancros exulceratos, & in lentam eorum febrim.

ANno primum 1772. sese mihi obtulit occasio medendi per egregium remedium cancris uteri exulceratis duabus in mulieribus, quas nunc optima valetudine frui certo scio. Non est cur recenseam tumorem durum in regione uterina tactui valde sensibilem, magisque dolentem, lancinantes undique dolores, excretionem materiei sanguinolentæ nigricantis, pertinacesque vigilias. Connotari tamen vellem, alteram præsertim ex iis ægrotantibus, biennio jam hoc morbo laborantem, me reperisse macie valde confectam, languentem viribus, & lenta febri detentam. Non absum equidem ab Aretæi sententia; quod *majora omnia vitia soli Dii medicantur*; nihilominus soleo fere nunquam relinquere morbo ægrotantes, nisi cum mors ostia pulsat. Cum agatur de magnis morbis, per levia quædam, remediola apparere medicam exercentem artem, nil aliud est, mea quidem sententia, quam observare morbo relictos ægrotantes. Medicus sagax, qui vere suscipere vult ejusmodi curationes; ita se gerit, ut remedio debita fama non tollatur. Medicus frugi debet denique consulere magis hominum vitæ, quam proprio nomini, & utilitati. Fac, ut ex centum similiter ægrotantibus unus tantummodo per diligentem adhibitam radicativam curationem reviviscat, aliquid tamen egerimus. Ut ad nos vertamus, utriusque igitur cancri prosperam vidi sanationem, intra diversa

quidem

quidem temporis spatia. Neminem Medicorum, & Chirurgorum latet vis acrimoniæ materiei cancerosæ, quæ labente tempore absorpta in sanguinem refunditur, cujusque sobolem diiudicare possumus esse febrim eam, quæ tandem accedit. Nihilominus adjunctum acre sublimati non nocuit: febris nihilominus abiit: tum causa, & symptomata cuncta omnino debellata fuerunt.

§. XXXIV.

Animadvertendo ad hæc, & ad mirabiles luis venereæ curationes, quas instituere non desinebam, quin ullo in casu observarem nocuam aliquam sequelam, minime dubitavi occurentes rheumatismos chronicos, & arthritides eodem ense propugnare. Nihil me detinuit acris ratio, permotum exemplo acris cancerosi, quod ne dum exasperatum non vidi, sed remedio omnino devictum. Habent insuper, mecum ipse cogitabam, rheumatismum agnatum scorbuto morbum: insignis humorum acrimonia in quovis scorbuto elucescit: ejus vero speciem curamus acerrimis aromatibus, salibusque tam fixis, quam volatilibus alcalinis.

Quomodo hinc determinatur usus heroici remedii in rheumatismos chronicos, & arthritides.

Tam sœvities, & pervicacia rheumatismi, ac arthritidis, quam evidentia aliunde stagnationis phænomena, cujusque sane animum, qui expertus fuerit virtutem in solvendo hæroicam sublimati, deberent impellere ad confugiendum tanto remedio.

Mirum, Boerhaavium tamdiu hujusmodi morbo afflictum non confugisse ad hæroicum.

dio. Equidem vix mihi suadeo, sapientissimum, & sagacissimum ex nostris Proceribus Boerhaavium, qui præmonuerat hujusmodi præparatum mercuriale mira præstare in multis morbis incurabilibus, mentem ad illud non vertisse diuturno temporis spatio, quo ipse crudeli rheumatismo fuit excruciatus. Illud cæteroquin candide fateri debeo de Italico more, quod, nisi magnus hic Vir, ejusque in ea re sectatores cum virtute, tum prudentia conspicui iterum proposuissent in medium, atque commendassent sublimatum, utpote egregium, tutissimum antivenereum, ego fortasse numquam pervenissem ad experiendas illius vires in supremo gradu antiphlogisticas. Opinor ego, Transcriptorem quemdam Venetum, tanquam *Phormionem* ab *Annibale*, exceptum fuisse à celeberrimis Auctoribus hujus remedii experientissimis Vanswietenio, & Bona, quos, præter Boerhaavium, ausit ille ea de re temere redarguere.

§. XXXV.

Docuit praxis decem annorum prestantissimam esse virtutem antirheumaticam sublimati: insuper majorem hanc, quam antivenereum.

PEr praxim decem annorum possum asseveranter affirmare, præstantissimam esse virtutem hujus remedii in solvendo rheumatismum, & quamvis rheumaticam affectionem. Expertus imò audeo declarare, non tam cito, ac facile luem veneream, quam rheumatismum cedere viribus sublimati. Rheumatismos, qui jam aliquot menses cava ossium afficiebant, sic debellatos vidi: nullamque suscepi hactenus morborum ejus generis curam, si arthri-

arthriticam affectionem valde inveteratam excipiamus, quin exoptatum effectum obtinuerim. Hæc sane nequeunt adeo libere pronunciari circa morbi venerei curationes. Loquor enim expertus.

§. XXXVI.

IN eo tamen cum omnibus sane convenio: quod nempe rheumatismus hystericus, vel arthritis illa, quam aliquis Auctor melancholicam nuncupat, minime remedium nostrum, sed ferri limaturam admittat. Nihil enim aptius est ferro ad essentiam eorum invadendam. Hisce in casibus adhibui ferrum, & in dosi quidem refractiori consueta, quam potius bis, vel ter in diem repetebam; quando quidem lenitas hæc requiritur, ne dolores vehementius exacerbentur. Numquam etiam recedi a methodo antiscorbutica in medendo rheumatismo scorbuticorum. Sola vermium expulsione obtruncatur species ea rheumatismi, quæ mirabiliter oritur in pueris a verminatione, quæ veluti universa corporis *teneritudo* (utar vocabulo Sydenhamiano) mihi videtur.

Subintelligitur diversa esse debere curatio rheumatismi hysterici, vel arthritidis melancholicæ, tum rheumatismi a scorbuto, & a vermibus.

Notum est multoties deceptos fuisse Medicos in sumendo pro rheumaticis, vel arthriticis dolores intollerabiles, & diuturnos productos ab occultis abscessibus, aliisque principiis, quæ erroneum foret, & sæpe perniciosum aggredi sublimato. Quoties ne suppuratio alterutrius musculi psoas, vel effusio cruoris intra musculos propter vehementem nixum, vel vitium mesenterii, vel aneurisma lumbaginem simulavit?

Multoque magis subintelligendum est excipi debere affectiones eas rheumaticas, ac arthriticas, quæ effinguntur ex: gr: occultis abscessibus, effusione cruoris, vitio mesenterii, & añurismate.

§. XXXVII.

Brevitas sanationum determinata juxta nostrã methodum. Quando non observetur talis; hinc de monito cl. Raullin.

NOstra methodo omnino sanantur rheumatici: ut plurimum spatio quindecim circiter dierum: hoc est citius, & magis perfecte, quam ipsa Syphillis. Sapiens quidem erat illud monitum cl. Raullin: scilicet in rheumatismis medendis aliquando cogitandum esse de celtico veneno, maxime hæreditario: eoque in casu mercurium tantummodo prodesse, cum cætera remedia diù frustra tententur. Juxta nostram methodum non est cur id investigemus: imò gratum faciemus quibusdam, si talem causam suspicientes silentio prætereamus. Lubet addere, quod tunc signanter, cum affectio soboles est luis venereæ, cura diutius producatur: ex qua protractione quidem sensi ejus naturæ fuisse rheumatismum, veluti postea ratum habui.

§. XXXVIII.

Quo die exacerbentur dolores, & alia adveniant phænomena: quando remittant hæc: qui tunc pulsus observentur; & quomodo morbus judicetur.

PAucis diebus elapsis post incœptam curationem, circa sextum plerumque exacerbari solent dolores: & pluribus ægrotis superveniunt magis minusque vigiliæ, & inquietudines, quibus omnibus intra diem aliquem remittentibus sensim fiunt pulsus meliores, magis molles, & in multis undosi, sensimque apparet morbi resolutio. Per diaphoresim plusquam per diuresim, omnium maxime per lenem alvi solutionem promoventur morbosi humoris excretiones, quæ perdurant usque ad integram valetudinis recuperationem.

§.

§. XXXIX.

Interdum accidit ante consuetum sanationis tempus, ut acquiescant dolores: (intelligendum id æque de affectionibus universalibus, ac de particularibus) & cum putent ægri, sese proximiores esse valetudini recuperandæ, morbus iterum cum nova molestia, & inquietudine exasperatur. Rem hanc facile prospicient, qui attente pulsus examinabunt. Tunc fieri potest, ut curatio paulo diutius protrahatur.

Morbi falsæ interdum induciæ: ex pulsibus deteguntur illæ. Quid tunc accidat.

§. XL.

Notatione dignum, quandoque in affectionibus rheumaticis, vel arthriticis particularibus aggrediendis factum esse, per actionem remedii puto, ut dispersa materies per alias corporis partes efformaverit quasi generalem rheumatismum, aut arthritidem. Id nos minime detinuit, quin constanter in eodem usu remedii pergeremus. Cito autem evanuisse observavimus ejusmodi mala secundaria.

Quandoque per actionem fortasse remedii affectio particularis commutatur in universalem. Nihilominus continuata cura iidem felices eventus observantur.

§. XLI.

Suo loco exponemus methodum, qua utimur in exhibendo hoc egregium *Antirheumaticum*. Illud hic tantummodo notetur: nos minime neglexisse in huic morbi generi medendo Veterum distinctiones: an scilicet affectio foret speciei sanguineæ, vel biliosæ,

Quoad methodum exhibendi hoc egregium Antirheumaticum *notatur interea, habitam esse rationem diversæ naturæ rheu-*

matismi, & arthritidis. Hinc de varia cujusque diagnosi.

liosæ, vel pituitosæ, vel melancholicæ. Cognitio ipsorum humorum redundantium haberi facile potest, ait Nicolaus Piso in agendo de ischiade. Nam a sanguine color rubeus est, dolor pulsatorius vehemens, tumor non solum venarum, sed & totius partis: neque refrigerantia admodum, neque calefacientia tolerant. Accessiones quotidianæ minus diuturnæ, quam a pituita. Ubi biliosus sanguis in causa fuerit, caliditatis sensum ægroto exhibet, color corporis flavus, rufus pallidus, & calefacientibus impositis exacerbatur dolor, quemadmodum rursus a frigidis mitigantibus remittitur: & præcessit victus ratio, & omnia ad generandam bilem apta fuere: nullus evidens tumor: si locus tangatur facile sanguis subterfugit: citius ab una parte mutatur in aliam; exacerbatio tertio quoque die. A pituita color subalbidus, aquæ inter cutem similis, tumor tactui cedens, dolor mediocris, sæpe nullus, exacerbationes quotidianæ diuturniores. A' melancholia fit rarissime. Color partis niger, frigoris sensus, dolor profundior instar Scalpelli perforantis: exacerbationes quarto quoque die.

Quibus rebus dirigatur usus trium coadjuvantium; quin unquam opus sit vesicantibus.

Adhibenti mihi semper idem *hæroicum ſolvens* in quamcumque istarum speciem, satis fuit dirigere tria coadjuvantia præsidia, quibus uti consuevi, nimirum sanguinis emissionem, purgantia, & potus qualitatem temperamento ægrotantis, vitio universali cum solidorum, tum fluidorum, & nonnihil ætati, atque anni tempestatibus, quibus simul omnibus rebus consimilis species respondere obser-

observatur. In temperamentis biliosis, sanguineis, aliisque similibus rerum adjunctis commendo frequentes potiones hordæaceas cum oximele simplici, utor subacidis eccoproticis, & aliquoties venam secare non dubito. In siccis, in systemate fibrarum rigido, aut aliqua mala dispositione pectoris secutus sum copiosum usum emulsionum, sive lactis diluti: Decoctum vero nostræ salsaparillæ, cathartica, & abstinentiam à phlebotomia in cæteris casibus, qui pertinent ad temperamenta laxa, ac pituita scatentia. Vesicantium ope, nedum in nullo rerum antecedentium, sed ne in tertio quidem casu me unquam eguisse, fateor, atque confirmo.

§. XLII.

In quibus lac dilutum pro potu protrahit curationem: quibus tamen ejusmodi potio necessaria. Cur?

TEmperamentis laxis, pituitosis, atque serosis lac dilutum, aut emulsiones pro potu minime conveniunt; quoniam eæ potiones vires remedii aliquanto refringunt, ac notabiliter protrahunt in ejusmodi corporibus sanationem. Expertus loquor. Quoad alia corpora gracilia, humoribus exhausta, sive aliquanto cachochimica, sive quæ adhibuerunt antea mercurium. observavi ex omissione illarum potionum facile progressu temporis advenire exulcerationes in ore, atque ptyalismum: quæ quidem incommoda frequentius sub hyemem, ut superius diximus, accidere videntur: aliis siquidem anni temporibus, quibus fibræ, & vasa laxiora reperiuntur, magis faciles sudores, aliæque excretiones observantur.

§. XLIII.

§. XLIII.

Quid, si remedium nimis exasperet dolores. De usu purgantium, & v. s.

DUm actio remedii sese manifestat in acriori exacerbatione dolorum, oportuit aliquando iterum confugere ad phlebotomiam, quam initio curationum, nisi quædam repugnent, ordinario præmittere solemus. Purgantia itidem idonea libenter post eductum sanguinem imperamus, nec non quandoque, si opus sit, ulterius repetimus; quoniam *hæroicum solvens* destruere videtur morbum facilius, & citius cum alvi laxitate. Nos enim Præceptorum ductu, neque amore, neque odio prosequimur purgantia, venæ sectiones, & cætera artis præsidia: sed majori, qua possumus animi attentione, ac æquitate incumbimus ad indicationes, atque effectuum observationem.

Egregium Antirheumaticū citius, & facilius superat morbum cum alvi laxitate.

§. XLIV.

Cur non hoc remedio podagra deberet, & nisi inveterata, posset radicitus curari.

CUr non podagram quoque hoc experto solventissimo remedio invadere possemus? Propositio hæc apud Friccium nil habet novi, ardui nihil, & imprudentis. Vulgus profecto diù hærebit in illa opinione: resolutionem scilicet hujus morbi futuram esse periculo plenam. Medici tamen comparant in praxi, nullum intercedere discrimen inter materiam, essentiamque arthritidis, ischiadis, quarum tuto resolutionem tentari posse sciunt, atque podagræ. Quotiescumque demum hæc resolveretur per eductionem extra corpus materiei morbosæ, uti evenire debe-

deberet juxta allatas experientias, omne tunc periculum abesse videretur. Summa rei est, quod, si podagram inveniamus vel aliquanto inveteratam, arduum foret eam, veluti arthritidem inveteratam, quibuscumque remedii viribus obedire. Anchyloses quippe maxime obstant. Verum difficultas ea evitaretur, cum recens ortam affectionem aggrederemur: quod fiet statim, ac omnes Medici curationem radicativam non condemnabunt, sed unanimiter ipsi proponent. Sœvitie summa, & pertinacia morbus hic dies, ac noctes præcipue, vexat miseros ægrotantes. Quotidie videmus oriri apoplexias, asthmata, pulmonias, aliosque irreparabiles morbos, cum sive externa de causa, sive deficientibus naturæ viribus infestum acre retrocedat in viscera; ita ut podagrosi fere continuo periculo mortis subjiciantur. Notum est, materiam podagræ progressu temporis non imminui, sed magis magisque adaugeri, & pejorem indolem acquirere. Alia quoque possent recenseri, quæ potius impellere deberent Clinicos ad curationem hujus magni morbi radicativam. Pauci nequeunt sese opponere populari præjudicio. *Maneat seros ea cura Nepotes.*

§. XLV.

An mirabilis virtus Sublimati in solvendo rheumatismū, & arthritidem sit ullimodo comparabilis cū virtu-

Quod præstat sublimatum in curandis rheumaticis, & arthriticis, id sane non præstant quævis alia artis præsidia hactenus adhibita. Videmus ægrotantes nostros longe citius, & prorsus omnino sanari; secus atque solet aliis evenire.

 Sciunt

te extracti cicutæ, aconithi, aliorūque magis potentium remediorum, quibus confugit aliquis cl. Practicus.

Sciunt enim Clinici quousque proprios animos excrucient ejusmodi morborum curæ, quæ sæpe ad menses, & annos quandoque protrahuntur; ita ut prudentissimi etiam tentaverint nova quædam actuosa remedia.

Ipsa tamen extracta cicutæ, & aconithi, quæ expertus est cl. Stork, videmus nonnisi mensium spatio, si sanatio contingat, ægros a morbo liberasse. Ipse, memini, cum nostram hanc therapeuticam nondum in executionem mandarem, quosdam temperamento laxo, & pituitoso præditos, quo liberarentur sœva ischiade arthritica, sese curationi meæ credidisse. Nullum porro juvamen perceperant illi ex decoctis lignorum, vesicantibus, balneis mineralibus, aliisque notissimis. Tentandum proposui crocum martis aperitivum cum myrrha, & sapone veneto conjunctum. Illi profecto incolumes evaserunt: sed mensium lapsu.

§. XLVI.

Quid sentire deberemus de efficacia hujus hæroici *in ischiadem nervosam. Hinc varia, quæ favent, argumenta ex observatis desumpta.*

QUidam laborans nuper ischiade postica nervosa, post incassum tentata quatuor mensibus multa remedia, per nostram deinde methodum intra octodecim dies omnino convaluit. Consimiles aliquot hujus morbi curationes possem recensere. Paucis vero eventibus non adducar ad affirmandum generice ischiadem, aliosque chronicos dolores, qui pariter nervosi dantur, rheumaticos, & arthriticos subigi posse virtute *hæroici solventis*. Nulla interim ratio contrarium evincere mihi videtur. Et quam-

quamquam in hac specie morborum rheumatica materies colligatur in cavitate vaginæ nervorum, non video tamen, fieri non posse, ut mercurialia, & quævis alia resolventia ibi agant, eo quod desint suppetiæ circulationis sanguinis. (Hæc opponitur difficultas ab iis, qui plane dissentiunt.) Experientia siquidem docet, mercurialia sanare aliquando paralyses, amauroses: tum evidenter illa agere in morbosos humores, qui resident in cellulis membranæ cellularis, ubi sanguis itèm non circulat. Quotidie videmus humores effusos, corpuscula extranea, materiem erysipelatosam ab una ad aliam partem facile per cellularem deferri. Quælibet enim sit vis, quæ inest structuræ fibrosæ cellularis, illa nobis exhibet aliam mirabilem veluti circulationem à circulatione sanguinis omnino distinctam. Fac, ut sublimati globuli introducti in vaginam nervorum stimulent ejus fibras ad contractilitatem, hac sane ratione morbosus humor discutietur, ac successive propelletur. Quæso enim, tunc cum sola natura sanat nervosas ejusmodi affectiones, nonnisi reactio nervosæ vaginæ in ipsum morbosum humorem irritantem potest esse causa, quæ producat ejus humoris propulsionem, atque excretionem. Quod si reagat nervosa vagina in hoc mercuriale, pluris habenda foret talis reactio respectu mercurialis; nam vis motus comunicata mercuriali, concipitur ab eo & servatur major pro massæ habita ratione: tum pluris habenda respectu vaginæ, cum reactio sit æqualis actioni. Vix autem dubitari posse videtur; quin sublimati globuli ingrediantur

 in ner-

in nervosam vaginam ; cum summa , & incredibilis sit illorum divisibilitas , uti alibi animadvertimus , adeo ut per aquam facile dispergantur: cum deniq: succum nerveum in vaginam ingredi posse videamus.

Sydenham , magnus ille Clinicus , quasi supputando , martialia non agere , nisi corroborando , cum observaverit eorum egregiam efficaciam in curanda hysteria , collocavit hujus morbi primariam causam in atonia nervorum . At quædam phænomena ostendere videntur interdum inimicum humorem in vaginis nervorum existentem esse in causa . Cl. Jo: Gorteri opinio de perspiratione nervorum mihi maxime arridet . (Hæc porro perspiratio ostenderet humorum , qui in vaginis nervorum continentur , motum progressivum .) Obvium revera est , varia symptomata hysterica , nec non quosdam nervosos imi ventris dolores evanescere , cum accedente febri sudores erumpant . Non semel vidimus usu Thermarum *Vici Aurelii Imperatoris* , quæ Romæ non satis innotescunt , morbos nervorum , tum hystericos , tum alii generis fugatos intra octo aut decem dies . Hisce positis non ne martialia in vaginas nervorum ingressa agerent absq: suppetiis circulationis sanguinis ? Quod si martialia , cur non mercurialia ?

§. XLVII.

Quæ ischias nervosa procul dubio auscultare debet hæroico solventi .

QUod si rheumaticus humor obsideat non cavitatem , sed vascula vaginarum , tunc non desideratur ratio , qua *hæroicum solvens* possit , & debeat

debeat contra nervosas affectiones arthriticas effectum suum exerere. Libenter tamen adductus experimentorum argumento fortasse descendam, cum primum invenerim ischiadem nervosam, in peculiarem methodum aperiendi ramos nervi ischiatici, quam nuper in medium protulit D. Petrini. Hanc equidem præferrem, si reapse comperirem magis brevem, facilem, & felicem. Reliquum enim ego *hæroico solventi* usus fui in rheumaticos, & arthriticos morbos, quo mihi suppeditarentur ratio, & majora argumenta, ut gradum facere possem ad ea, quæ serio spectabam.

De peculiari methodo D. Petrini.

§. XLVIII.

Accidit aliquoties, ut rheumatismo chronico laborantibus, cum iis ego pro mea consuetudine mederer, febris superveniret. In hisce casibus adductus experientia eorum, quæ contigerant syphilliticis febricitantibus, & cancro affectis cum febri lenta, necessum esse non duxi, ut supersederem usui *hæroici solventis*: cautus tamen in eo procedebam. Quum vero rem feliciter evenire observarem, tuto animo ausi semper in simili occasione prosequi eamdem curationem: nec me unquam pœnituit.

Quibus argumentis praxis prosequutum fuerit in usu sublimati, cum rheumatismis chronicis accederet febris.

§. XLIX.

Rheumatismus porro, etiamsi chronicus, perhibet nobis humoris stagnationem, in qua etsi febris

Ab ejusmodi experimentis feliciter institutis consideratur gradum

fieri posse ad eadem tentanda in rheumatismis acutis.

bris absit generalis ; sæpe numero tamen manifestantur signa febris particularis : non deest tumor, doleres non desunt : pulsus , ut plurimum durus : itidemque sanguis eductus obtegi solet pleuritica crusta . Quare natura ejus vix distare videtur ab illa rheumatismi acuti . Quoties autem cumque superaccesserit febris , unde sœviunt dolores , quidquid fert acuties , procul dubio morbus acquisivit . Quare non imprudens esse putabam ab allatis experimentis conferre me posse ad eadem tentanda in rheumatismis ab ortu suo vel maxime acutis.

§. L.

Quæ animadversiones postulabant , ut prius in his , quam in reliquis morbis inflammatoriis tentaretur usus sublimati.

QUamquam aliæ Inflammationes sint morbi ejusdem naturæ , ac rheumatismus acutus , huic imò adjungatur insuper , nescio quod acre ; malebam tamen ut , si quam unquam læsionem in vasa , aut fibras membranæ cellularis vis remedii esset illatura , exponerentur huic periculo partes musculares , & ignobiliores potius , quam nobiliores , & viscera . Hinc simul magnam utilitatem eruissem , nos certiores reddendi de quocumque effectu , sive nocuo , sive proficuo , qui magis aperte in curationibus rheumatismi acuti patuisset . Cautus igitur hic incedere volui in re tanta , eo magis , quod præoccupati nimis esse videamur metu lædendi vasorum integritatem , vel saltem nimis irritandi .

§ LI.

§. LI.

Validissima ratio contra id, quod a proposito quasi deterreret.

INgenue fateor: me quoque deterrebat a proposito remedii vis, vel urgens, vel irritans, vel utcumque actuosa, dum febris urget, dum fibræ reperiuntur in erethismi statu, dum vasa, vel cellulæ ob collectum sanguinem patiuntur summam extensionem, dum universa corporis machina una cum affecta parte quasi conflagrat. Verum vero Medicus Practicus mancipare se debet observationi effectuum, iisque præstare fidem argumentis, quæ ab ea legittime emergunt, non ferie, ut anterioribus quibuscumque theoriis ipse ad agendum impellatur. Oportet solum, ajebat *Cicero de Amicitia*, diligere cum judicaveris, non cum dilexeris judicare: hoc esset in medicina: oportet judicare cum observaveris, non cum judicaveris observare, seu mederi. Insignis acrimonia cantharidum, licet istæ reapse habendæ sint tamquam alterum venenum corrosivum, & per vasa circumactæ evidentissime irritent; non nocet tamen in curandis phlogisticis affectionibus. Recens est, repetam, nondum integre sedata controversia plurium Medicorum, qui principiis theoreticis innixi condemnaverunt vesicantium applicationem præcipue parti inflammatione detentæ. Experientia aliundè constat non exigua ejus methodi utilitas.

Clinicus adduci debet ad agendū observatione effectuum, minime theoriis.

§. LII.

§. LII.

Confirmatur propositio antecedentis §.

EXtemplo inficiari existentiam rei , sese oppo-
nere usui remedii , eo quod eorum rationem asse-
qui non possit humanus intellectus , sive , quam
adumbrat , ea contraria esse videatur , error est
soboles humanæ superbiæ , ne dicam ignorantiæ ;
qua nihil audacius , qua doctius nihil reperitur Di-
vini Senis sententia . Nos vix aliquommodo cogno-
scimus morborum naturam : latet aliunde ratio ple-
rumque , qua remedia operantur ; nil ergo magis
rationale , & prudens , quam sequi effectuum obser-
vationem . Credimus , opium afferre somnum , scyl-
lam diuresim ciere , rhabarbarum purgare , sima-
roubam adstringere , quià tales effectus in praxi vi-
demus . Sed cur acre in rhabarbaro purget , in si-
marouba adstringat , in scylla urinam promoveat ,
& somnum in opio ? Cur opium invadat caput ,
scylla renes , viscera imi ventris rhabarbarum ? Cur
acre in alcalinis solvens sit , & in quibusdam aci-
dis coagulans ? Immo cur acre unius acidi coa-
gulet , alterius acidi resolvat , ecquis felix vere
cognovit ?

§. LIII.

Errores recenter capti de actiõe opii, ch. ch., mercurialium , & alcalinorum .

PLurimi cum Boerhaavio repetebant opii vim so-
mniferam ab adaucto motu sanguinis , rarefactione
ejus , & inducta vasorum encephali turgiditate .
Experimenta modo satis abunde reiterata in rânis ,
evi-

evidenter detexerunt, opio retardari motum sanguinis circulatorium. Ipse revera, cum sanis exhibuerim opium crudum, observavi, paucis elapsis horis, pulsum magis rarum fieri, & oppressum. Mirum est, & animadversione dignum, ex utroque prorsus diverso supposito virium principio Theoreticos explicare pari felicitate narcoticam opii virtutem. Putabant summi viri, corticem peruvianum sanare febres intermittentes propter antisepticam virtutem: alii propter vim corroborandi. Constat viceversa cl. Senac observationibus, transitum aquæ tepentis, quæ procul dubio laxat fibras, adeoque promovere potius debet septicitatem, eas febres posse plane exulare. Si perpendatur præstantissima virtus, qua pollent in perexigua dosi præparata mercurialia, evidenter patet, quam longe deliraverint una cum Pitcarnio plurimi magni viri in repetendo mercurii efficaciam a solo pondere, atque divisibilitate. Quæ universim septica æstimabantur, quæ non parum resolvunt fluidorum massam, salia nimirum alcalina conferunt sanandæ scorbuti speciei, & nunc temporis habentur antiseptica. Nescio aliter, quommodo cl. Vanswieten commendare ductu Præceptoris potuisset quædam remedia, quæ scatent ejus generis salibus, in phtisim pulmonalem, ubi omnia vergere in septicitatem existimantur.

 §. LIV.

§. LIV.

Felix praxis decem añorum in curandis rheumatismis acutis ope sublimati.

ANnus elabitur decimus, ex quo indesinenter *hæroicum* hoc *solvens* adhibeo ob sanandos rheumatismos acutos. Illos inter, quos nostra hac methodo primum convalere vidi, ornatum Juvenem Joannem Cagni Brachianensem libet recensere. Tunc consultum ducebam præbere dosim remedii minorem ea, quam lapsu temporis pedetentim adaugendo denique decrevi, & suo loco exarabo. Hac sermonis occasione reticendum non est, evidenter serius fuisse sanatos omnes rheumatismos, quos prius, quam eos, quos posterius curavi; ut inde probetur, & pateat eximia remedii virtus directa causæ morbi. Argumentum hoc afferri non potest pro phlebotomiis, quoniam illi sæpe laborant hoc morbo diutius, quibus per-pluries vena secta fuerit. Testor cujusvis conscientiam, qui expertus satis est, cui „ *e Catonum luto finxit præcordia Titan*. „

Evidenter serius sanabantur rheumatismi acuti cum initio experimentorum in minori dosi præberetur remedium. Quæ inde demonstratio.

§. LV.

Hæroici *usus quo circiter die in rheumatismis acutis manifestet proprios resolutionis effectus. Quæ præcedant phænomena.*

SUblimati usus juxta nostram methodum solet plerumque ostendere aggressam resolutionem rheumatismi acuti circa quintum, aut sextum diem: citius nempe, quam in chronico. Aliquem ante diem exasperari solent dolores cum aliquali nova difficultate respirandi, & anxietate, & orgasmo, quæ, ut plurimum, postulant aliam phlebotomiam. Res ita se habet in acriori morbo, & in eo si-

gnanter

gnanter jam ulterius progresso; verum in incipienti, aut minus sœvo nullam observare solemus exasperationem ab actione remedii, cum paulatim post tertium, aut quartum circiter diem incipiant resolutionis indicia absque ulla rerum perturbatione. Hæc qui animadvertunt, non metuent damnum ullum ab irritamento.

Sin autem morbus sit incipiens, aut potius levis.

§. LVI.

Igitur circa sextum diem curationis, pulsus mollescunt, sensim evadunt undosi, & ordinario incipiunt erumpere sudores, qui sæpe redeunt usque ad morbi finem, scilicet usque ad decem, aut duodecim circiter dies, nulla attenta lege criticorum. In ejusmodi casibus amplæ occurrunt occasiones observandi copiam sudorum in ratione composita numeri, & vigoris ictuum adsurgentium pulsus incidui.

Qui pulsus circa sextum diem. De iis, & sudoribus.

§. LVII.

In juvene decurrebat jam decimus dies acuti rheumatismi. Incœperant quidem resolutionis ordinaria quædam indicia, sed cunctanter, neque juxta consuetudinem. Afficiebat me vix ulla facta pulsuum commutatio: amiserant enim parum propriæ duritiei. Inter hæc poteram incusare (I.°) sudores criticos adstantium incuria fuisse quadam nocte sufflaminatos, (II.°) bis tantum fuisse sanguinem eductum. Quare, præterquam quod dosim

Casus tardioris resolutionis morbi. Qui tunc pulsus.

remedii paulo largiorem esse voluerim, sanguinem emitti jussi. Æger inde, mollescente pulsu, promptam, atque perfectam obtinuit valetudinem.

§. LVIII.

Quando sudor præcedat alvi fluxum: quando viceversa. De utroque, tum de urinis.

IN morbo incipiente, si præsertim faveat anni tempestas, statim una cum respondente pulsu oriuntur sudores, & pergunt, accedente interim alvi leni solutione. Contra in morbo sæviori, aut jam aliquot dies progresso, blandus alvi fluxus citius advenire solet, & constantius continuare, quam sudor. Immo fieri potest, ut quandoque sudor, sed perrarò alvi fluxus desideretur: quasi tunc rheumatica materies, magis degenerata ab indole naturali, difficilius subigi, & minus posset attenuari. Interdum quoque urinæ copiosæ, turbidæ, sedimentosæ minguntur.

§. LIX.

Duodecim circiter diebus hac methodo sanari solent rheumatismi acuti. An id obtineatur per alias selectiores methodos.

RES est quod, utcumque ope *hæreici Antirheumatici* judicetur talis morbus, funditus hic, & omnino expelli soleat duodecim circiter diebus, citius ut plurimum, quam chronicus. Qui selectiori methodo Sydenhamiana, & Boerhaaviana pertractavit id morbi genus, uti plerumque cl. Stork, fateri debet, se numquam observasse omnem dolorem abiisse ante vigesimum diem; imò sæpe ultra trigesimum, aut quadragesimum perdurasse.

Præ-

Præstantissima contra rheumatismos observata virtus *hæroici*, cujus actio consistit in solvendo, favere videretur sententiæ cl. Baynard, qui dolores rheumaticos emergere putabat potius a viscida, & immeabili sanguinis densitate, quam ab ulla humoris acrimonia.

Comperta virtus antirheumatica hæroici solventis *videtur respondere opinioni cl. Baynard.*

§. LX.

IN arthritidem, & rheumatismum, quibus, tamquam aliis symptomatibus, adstipantur quandoque febres intermittentes, non omisso usu corticis peruviani, minime dubitavimus, quin simul ad nostrum solvens confugerimus. A' quibusdam effectibus deprehendi facile potuit peculiaris hujus efficacia: nec unquam factum est, ut ejusmodi rheumaticæ intermittentes transirent, uti fieri solet interdum, in essentiale rheumatismum. Tentandum superesset, an sine corticis usu contingerent pari felicitate talis morbi curationes. Suo autem loco, cum de inflammationibus symptomaticis intermittentium, ea de re aliquid attingemus.

Valet remedium in arthritidem, & rheumātismum symptomaticū intermittentium.

§. LXI.

OPortet interim scire, juxta nostram methodum, neque, uti diximus, in chronicis, neque in acutis quidem rheumatismis opus unquam fuisse vesicantibus. Narcotica nunquam adhibuimus. Blanda purgantia præmittimus, antequam in usum revocemus egregium *Antirheumaticum*: illaque, si res exigit,

Juxta hanc methodū nulla necessitas vesicantium: & qui usus aliorum coadjuvantium.

exigit, aliquoties reiteramus. Sanguinem autem vix aliquot vicibus emittere cogimur. Universim denique in rheumatismis acutis adhibere solemus, utpote magis idoneas, potiones hordæaceas cum oxymmelle conjunctas.

§. LXII.

Recensentur nocuæ sequelæ, & recidivæ rheumatismi non curati hac methodo: contra vero qui felices effectus hanc methodũ sequantur.

SIc ægrotantes tum brevius, tum magis perfecte, quam fieri solet, morbo liberantur: fere nemo recidit. Quidam, qui cito recidit, leviter & brevi tempore ægrotavit. Nullam unquam metastasim vel aliquanto gravem observavimus, & neminem vita fuisse periclitatum. Nunquam in ægris ità sanatis suborta fuerunt vesiculæ, efflorescentiæ salinæ, psora, scabies, ulcera, quibus nimis cito suppressis aut consolidatis, dolores prompte resurgunt. Cujusmodi noxiæ sequelæ, & recidivæ sæpe solent observari sub alia quacumque magis accepta medendi ratione. Raro admodum remanent tumores illi membrorum, qui adaugentur interdum, vel efformantur cessante dolore. Sed immò integra libertas motus redit articulis, & musculis: nullumque prorsus vel levis læsionis indicium unquam apparuit.

§. LXIII.

Ab observatione omnium remedii effectuum, qui hactenus expo-

AB observatione omnium effectuum, quos nunc, & superius exposui, accessit mihi animus tentandi *hæroicum Antirheumaticum* in curandis inflammationibus.

nibus. Firmis videlicet argumentis, & experimentis innixus, nedum non verebar, ne usus remedii noceret, verum quasi pro certo habebam, futurum hunc esse efficacissimum.

nuntur, & comparata natura rheumatismi acuti cum cæteris inflammationibus, statuitur usus sublimati in inflammationes.

Phlogisticum lentorem æque in rheumatismo acuto, ac in inflammationibus viscerum accusant unanimiter omnes Practici. Utrique revera morbo communia sunt, & causæ, & signa pathognomonica, & indoles educti sanguinis, & ea, quam hactenus magis efficacem Medici fuerunt experti, qualitas methodi. Inest insuper rheumatismo manifesta acris fluidorum labes: sive putetur hæc acida juxta experimenta relata in Academia Chirurgorum Parisiensium, sive alcalina juxta experimenta Bononiensium. Sed hæc labes, quæ potius oppositionem aliquam apud nonnullos immerito excitasset, morbis essentialiter inflammatoriis fere deest, aut deesse videtur.

§. LXIV.

IN Nosocomio Brachianensi, quod sustentatur insigni nota pietate *Exmæ Domus Odescalco*, sum tandem aggressus remedii usum contra pectoris inflammationes: primum quidem in eas jam ultro progressas, & quæ in gravissimo vitæ periculo constituerant laborantes. Singulas historias profecto scriptitabam: sed infortunii causa vix inveni postremas earum mensis Januarii an: 1777., quas exposueram, antequam Romam redirem. Pleuropulmoniis periculosissimis, aliquot jam dies progressis absque

Quibus primum in casibus inflammationum methodus hæc sit in praxim adducta. Cur?

absque ullo artis auxilio, nonnisi ii laboraverunt eo mense, qui singuli per sublimati usum evaserunt incolumes. Quidam Adolescens Petrus Franciscus Orsini ex Suburbio Brachianensi: Alter Juvenis ex Foro Flaminii Thomas Franc. Hyeronimi: Tertius quadragenarius Paschalis Candeloro Tudertinus: & quartus item Juvenis Blasius Capriotti ex Monte alto Piceni, quorum unusquisque agrariam exercebat. Mens fuit diuturno tempore non experiri remedium in levioribus inflammationibus, & in iis, quarum mixta erat phlogistici indoles, quo se manifeste probaret apud nos vis egregia antiphlogistici; tum quia videbatur magis licere usus nondum certi, exploratique remedii in morbo extremis.

Memoria summatim teneo generalem curationum prosperitatem. Ab eo usque tempore non reliqui profecto hanc methodum: cum vero ageretur de rei novitate in Medicina, de morbis summi periculi, & de exhibendo remedio, cujus nomen gentem deterret; hinc accersitus ad ægros non imperabam illud nisi pro quibusdam rerum circumstantiis. Congerere exinde non potui antehac tot casus, quot sufficerent concludendo, demonstrando, & in medium proferendo sanioribus Clinicis remedii antiphlogisticam supremam tutissimam efficaciam.

Nunc demum in nostro publico Nosocomio præsertim potui rem luculentius in praxi comparare. Non est cur recenseam singulos casus: neque enim datur otium implendi nimias paginas: neque tædio vellem esse consociis. Satis illud erit, ut connotemus,

temus, plerosque ægrotantium inflammationibus, quos *hæroico Antiphlogistico* curavi, ex iis esse, qui ad Nosocomium translati fuerunt post aliquot morbi dies.

Quid notandum in plerisque curationibus inflammationum institutis.

Discrimen cæteroquin, si felicitas eventuum spectetur, quod intercedit nostræ cum communi methodo non exiguum esse videtur. Ubique ex ore Practicorum eruitur, quantam id genus morbi inferat stragem. Ego autem ausim fere pronunciare sacram illam anchoram febrium perniciosarum, corticem peruvianum, nihilo plures ægrotantium perniciosis à morte liberare, quam ægrotantium morbis inflammatoriis sublimatum. Hæc citra contentionem sanioribus Clinicis, qui satis experientur, dijudicandum relinquo.

Juxta effectus videtur, uti Ch.Ch. perniciosarum, ita sublimatū sacra inflamātiōum anchora.

§. LXV.

Tertio circiter die post incœptam curationem, ut plurimum, si adhibeatur remedium, non epicratice, sed fere juxta communem methodum sequutam in lue venerea curanda, (quæ nobis prima fuit) apparere solet morbus magis exacerbatus: idque nocte præsertim. In inflammationibus pectoris ex: gr: magis increscunt tussis, respirandi difficultas cum notabili anxietate, & jactatione: tum pulsus varia ratione videntur pejores. Patet Clinicos, aliquando hæc, & similia terrifica phœnomena accedere pulmoniis, uti cæteris acutis, antequam evacuationes criticæ fiant, quæ valetudinem afferunt. Imo *plerisque eorum*, ait acutissimus

De aliquali exasperatione symptomatum, quæ in usu remedii juxta primam methodū describendam fit circa tertium diem.

 Hip-

Hippocraticus F. Vallesius, *qui jam ſunt per criſim à morbo liberandi, accidunt anxietas quædam nova, & difficilia symptomata. Ergo qui more vulgarium quibusvis ſignis bonis fidet; & quibusvis malis terrebitur parum curans, an ſecundum rationem fiant, plerisque morientium præbebit ſalutis ſpem, & plerisque eorum, qui bene judicantur, mortem prædicet. Oportet, quemadmodum non incaute fidere bonis, ità neque malis terreri*. Quapropter non metuenda exasperatio in casu nostro, quæ sine causa, idest sine incremento causæ morbi accidit. Hæc utique paulo diutius produci solet, quam si effectus foret crisis naturalis; verum considerandum, remedii vires agere paulatim.

Quando non observetur hec exasperatio.

Notandum autem ejusmodi exasperationem sæpe non observari, (I.°) tunc cum levior est inflammatio, aut (II.°) cum initio morbi statim aggreditur curatio, quod in Nosocomio raro potius obtinetur, (III.°) non observari ut plurimum, & in quolibet casu, si in adhibendo remedium sequamur epicraticam postremam methodum, non autem primam.

§. LXVI.

De Magnitudine, quam sensim acquirunt pulsus tertio labente die in prima: paulo serius in secunda methodo.

Tertio curationis labente die, [id autem comparatur paulo serius in epicratica methodo] pulsus acquirere sensim aliqualem magnitudinem solent. Toties pulsus duros parvos creberrimos, qui pervicaciter phlebotomiis renituntur, malumque præsagiunt, obediisse demum vidimus actioni hujus *Antiphlo-*

tiphlogistici . Pulsus autem factus major significat naturam moliri evacuationem ; nam ante crises fieri talis consuescit .

§. LXVII.

Tunc vel exacerbentur , vel perseverent symptomata . opportũa phlebotomia , quid efficiat .

SI gravitas Symptomatum tunc temporis , vel , utpote major , urgeat , quod frequens est in prima methodo , vel eadem perseveret , uti fieri solet in secunda , proclives potius sumus reiterando sanguinis emissionem ; quoniam experti fuimus aliquam aliam phlebotomiam in hoc casu , & juxta nostram methodum , quæ versari non cogitur in multis emissionibus , non solum non perturbare , vel præpedire resolutionem materiei , & criticas excretiones , verum utrumque expedire , ac mirabiliter promovere .

§. LXVIII.

Peculiares observationes , quæ determinato tempore occurrunt de pulsibus : de principio resolutionis : tum de superveniẽtibus certis crisibus per varias vias .

CIrca finem tertii , exacerbatione nondum sedata , aut paulo serius , & minus aperte pro alterutrius methodi varietate , pulsus elatiores percipiuntur , & pleniores , quasi ostendant libertatem , quam recuperat fluidorum circulatio . In quibusdam inflammationibus hepatis , pulmonum , cerebri , pulsus , qui ob circulationem valde interceptam molles erant absque plenitudine , evadunt minus molles , pleniores , & magis vibrantes . Fiunt generice æqualiores , qui observabantur antea irregulares , aut intermittentes , quod pectoris inflammationibus

 fami-

familiare potius esse videmus: evidenter minus celeres apparent: & duritiem, si hac antea pollerent, amittere incipiunt. Tunc res in melius inclinant: diaphoresis aliquatis accedit, vel etiam sudor, frequenter autem lenis alvi solutio juxta primam præcipue methodum. Anacatharsis quoque in inflammationibus pectoris, si curatio aggressa fuerit post aliquot morbi dies, promoveri solet magis, minusque copiosa.

§. LXIX.

Quid notandum circa Anacatharsim.

ANimadversione dignum illud est, quod materies, quæ excreatur, sæpissime non exhibeat signa concoctionis. Verum sciunt Practici eam, qualiscumque sit, bonam experiri, quæ levat morbum. Ipsa sputa concocta, si pauca erant, Hippocrates metuebat; quæ vero dolorem sedant, omnium optima declaravit.

§. LXX.

Crises per diuresim.

ALiquoties etiam, cum opportunum fuit, crisim observavimus per uropœas vias. Urinæ apparebant copiosæ, sive onustæ, aut sedimentosæ. Equidem numquam satis considerari puto, quod Hippocratici monere non desinunt: nimirum, quod perrarum sit, aut fortasse omnino fieri non possit, ut quispiam æger unius generis solum; exquisiteque congerat excrementum per morbum aliquem.

Quare

Quare accidit, ut quemadmodum, cum morbus sine evacuatione, aut cum exigua solvitur, paulo post emergat recidiva: ita, cum etsi facta sit evacuatio satis magna, sed nullatenus diversa, paulo post morbus alius diversus genere à priori suboriatur. Generatim ergo, ut corpus penitus perpurgetur, & absolute judicetur morbus, varietas crisium, quasi necessaria esse videtur. Huic autem rei quam egregie consulunt vires sublimati! Quanta idcirco hujus utilitas!

Quam necessaria sit varietas crisium fere in quovis morbo: quam utiles idcircò vires sublimati, quæ illam procurant.

§. LXXI.

Lenis alvi solutio sæpe continuat: sudor, vel diaphoresis aliquando redeunt, dum interim appropinquat sanatio, quam brevi temporis spatio, alicujus nempe diei fieri comperimus. Plerumque ante quintum diem feliciter absolvuntur curationes. Paulo citius sanantur universim ægroti, si prima methodo pertractentur: Quod si secunda, paulo serius. Utrumque suo loco exarabimus. Plura quippe nos docuit usus. Advertat interim, oro, unusquisque Clinicus ad hanc excelsam sublimati virtutem antiphlogisticam, nonnisi cum illa antifebrili Ch. Ch. comparandam; Cum vix in ejus corticis usu prænuntiari certum possit à nobis tempus sanationis.

Crisium continuatio. Tum præsignatur certum sanationis tempus.

§. LXXII.

Quo casu hæroi..um resolvat inflammationes intra tres dies. Quid tunc observetur.

NOn rarò viscerum inflammationes cum statim in ortu suo curentur, perfecte resolvuntur intra tres dies, absque ulla sensibili critica excretione, & quin insurrexerit vel aliqualis symptomatum exacerbatio. Breviter affulgent in hisce casibus secunda signa ejusmodi resolutionis. Sæpius tamen non abest aliqua excretio morbosi humoris; etiamsi aggrediatur morbus initio, & desinente tertio vires remedii illum superaverint, quin excitata fuerit vel ulla perturbatio. Notent *Anthippocratici*, in auxilium præter cætera vocato omnium maximo solvente, vix contingere aliquando perfectam inflammationis resolutionem absque crisibus.

Quid notare debeant Anthippocratici.

Ab expositis modo deducitur validissimum argumentum, quo demonstrantur exasperationes symptomatum non pendere ab irritamento remedii, sed ab ejus actione in causam morbi, aut, satius dicam, à fortiori causa morbi acriter renitente viribus magni solventis validissimis.

Exasperatio symptomatum ante indicationem pendet a renitentia causæ morbi.

§. LXXIII.

Interdum resoluta inflammatione locali continuat febris. Eo in casu nonnisi potionibus opus est.

VIdeo non raro post tertium curationis diem, resoluta particulari inflammatione, continuasse dies aliquot febrim, quæ cursum suum juxta morem absolvere consuevit, & pro synocho simplici posset reputari. Nullius visceris affectio: functionum notabilis læsio nulla superest; si excipiamus vitalem

ratione

ratione febris: & pulsus potius optimæ qualitatis percipiuntur. In hoc, ut quovis in casu, vix, ut ratus sum, devictam fuisse inflammationem, remedii usum relinquo, & ad hanc febrim curandam me verto. Quare tunc satis est largiter exhibere solas potiones aquæ hordeaceæ cum nitro & oxymele, quo adapertæ excretionum viæ serventur, & fluidorum massa magis magisque diluatur.

§. LXXIV.

Duplex causa adnotatur, qua aliquando protrahitur curatio.

REticere tamen non debebo, inflammationis vim sese exhibuisse interdum majorem virtute *solventis*; ità ut modo magis, modo minus ingravescens morbus ultra quartum, & quintum quoque diem incesserit, demum vero debellatus: Eo, quasi dicam, belli tempore non desideratur aliqua saltem excretio, sed nunquam pulsus, ut unusquisque facile opinari potest, eam dilatationem, magnitudinem, atque mollitiem acquirunt, neque multum celeritatis, & inæqualitatis amittunt: quemadmodum evenit circa finem tertii, cum res, uti solent, maxime favent. Exitus autem demonstravit, causam hujusmodi resistentiæ; etenim lapsu temporis detexi, vel copiosum materiei affluxum ad partem inflammatam, vel mixtum characterem putridi, quod supervenerat, sive ab ortu morbi conjunctum non satis eluxerat.

§. LXXV.

§. LXXV.

Quod signum facile comitetur utramque causam. De indole pulmoniæ lethargicæ Martiani. Et quotiescumque non fallat brevis operatio Antiphlogistici.

CUm linguæ notabili sorditie conjunctam hanc sanationis remoram plerumque observavi. Videtur illud signum facile comparari, tam si adsit humorum colluvies, & affluxus, quam si accedat indoles putridi. Primo vitio, quod pariter stipabatur ea linguæ qualitate, nos tribuimus expertam renitentiam pulmoniæ lethargicæ Martiani, cum qua levis quædam desipientia sæpe sæpius conjungitur. Re quidem vera summa redundantia materiei viscidæ ad pectus inde patuit. Quapropter convenire non possumus cum celeberrimo Auctore recentiori, in illa morbi specie curanda non aliud spectandum esse, quam phlogistici lentoris resolutionem. Experti enim asseveranter affirmamus, antiphlogisticam sublimati vim omnino non eludi morbo, sed morbum ab illa breviter superari, quoties cuncta signa extra ullam dubitationem evidenter detegant phlogisticam sanguinis densitatem, atque stagnationem esse meram morbi naturam.

§. LXXVI.

Inter ejusmodi morbi renitentias quomodo sese gerere oporteat. Utrum lenis alvi solutio vel in ipsis inflā-

ALterutra observata causa nuper exposita, qua morbus aliquandiù renititur viribus *Antiphlogistici*, & cum etiam ante oculos nobis obversaretur, manifestum juvamen levium alvi fluxionum in rheumatismis acutis, consultum duximus, *hæroico* non omisso, ad polychresti electuarii usum epicraticum iterum,

iterum, iterumque confugere. Sub usu *hæroici Antiphlogistici* moderatam alvi solutionem nunquam nocuam, sed utilem experimur vel in ipsis inflammationibus pectoris curandis: hæc non frangit vires, nec omnino sufflaminat anacatharsim, uti fit ex diarrhœa profusa, aut symptomatica. Cujusmodi sane diarrhœas Practici cum Hippocrate in his morbis condemnaverunt; non autem lenem solutionem, habitam inter eas excretiones, quæ, si absint, ægros suppuraturos sciendum est. Aretæus scripsit, fieri, dum pulmonia in melius vergit, biliosorum succorum dejectionem, qui ex pulmone in imum ventrem depulsi videri possunt.

mationibus pectoris conferat, maxime sub usu Antiphlogistici.

Confert denique ea lenis alvi solutio, & facile fertur, purgantur ergo qualia oportet purgari. Præterea fac, ut imminuatur redundantia materiei, quæ ad pulmones affluit, vel eliminetur putridus humor, aut portio illa phlogistici humoris, quæ ope *solventis* attenuata, & ab affecto viscere discussa in motum per vasa adigitur, non nè facilius tunc, reliquam stagnationem remedii viribus superari? Purgamus ærysipelatosos [dummodo non pertractetur de morbo maligno, aut de infirma natura] neque omnino reformidamus humoris retrocessionem ad viscera, cum sequatur evacuatio: verendum ne erit prudenter id agere, cum afficiuntur interna viscera, pulmones?

Nonnullæ rationes pro eadem propositione.

§. LXXVII.

Qui abstinere se debeant à purgando in acutis.

QUod vero de sublimato Boerhaavius pronunciavit, idem nos plane sentimus de purgando in acutis. Hoc profecto abstinere sese deberent Tyrones, qui methodum nescirent: tùm maxime, si vellent adhuc potissimam curationis vim omnino ponere in laxantibus fibram, atque refringentibus sanguinis impetum, seu, quod idem est, in debilitantibus. Colligari siquidem nequeunt improbum studium debilitandi vitam, & laboriosum opus criticarùm excretionum. Nos iterum animadvertimus, etiamsi adhibeatur tantum *solvens* præter cætera præsidia, fieri tamen non posse, quominus incumbamus ad excretiones phlogistici morbosi humoris. Quomodonam absque illius potenti ope possit id evitari, plane ignoramus.

§. LXXVIII.

Raritas suppurationum in hac praxi.

EXperientia satis constat leviorem etiam pulmonis inflammationem, nisi cito hæc resolvi possit, in suppurationem subito vergere. Neminem inde fugiunt pessimæ sequelæ ejus suppurationis, illisque medendi difficultas. Nos autem, etsi plerisque pulmonicorum mederi post aliquot morbi dies incœperimus; tamen nonnisi perpaucos ex omnibus iis, quos hac methodo pertractavimus, suppuratos hactenus vidimus. In tali casu signanter diutius renititur morbus: exacerbationes fiunt valde evidentes,

Quæ observentur cum fiat suppuratio.

dentes, & terrificæ, præter alia suppurationis signa, quæ omnibus innotescunt. Ut plurimum labitur duplum tempus inter labores, & bellum, atque contingat, cum inflammatio judicatur. Apparent demum ea bona præludia in pulsibus, quæ antea descripsimus: major, aut minor, puris copia facile expellitur: omnia cito in melius abeunt: & febris omnino cessat. Sollicitam hanc, & omnimodam febris evanescentiam extra consuetudinem, etsi postea perrexerit aliquandiù purulenta expectoratio, nos observavimus in paucis istis, excepto sene, quem febricula hæctica, macies, tussis, dyspnæa, aliaque cognita vomicæ pulmonum symptomata minime dimiserunt. An illud pari felicitate eveniet aliis suppuratis, majori sane observationum numero opus est, antequam possit affirmari. Usus nos plura docebit. Constat interim Chirurgis præstantia summa mercurialium in sanandis antiquis ulceribus.

Sollicita, & mirabilis sanatio suppuratorum.

§. LXXIX.

NOta est Practicis diuturnitas, & pervicacia febris, quæ oriri solet ab ejusmodi pectoris suppurationibus. Si febris hæc suppuratorum vinceretur sublimato, jure deducendum foret, eam oriri, & foveri a superficiali inflammatione partis ejus pulmonis, quæ circumstat suppuratæ, non autem à pure absorpto, in sanguinem refuso, & omnia colliquante. Sæpissime occumbunt affecti phthisi pulmonali, quin unquam illi purulentum excrearint,

De origine febris suppuratorũ, aliorumque symptomatum phthisis pulmonalis contra vulgarem sententiam.

& quin in eorum cadaveribus pulmonum ulcus reperiatur. Sola tubercula cruda fuerunt origo emaciationis, febris lentæ, aliorumque, quæ innotescunt, phthisis symptomatum. Notum est quædam remedia, quæ scatent sale volatili alcalino, non parum proficua hic reperiri: ajunt propter eorum virtutem antisepticam. Istiusmodi vero remedia solvere fluidorum massam, & infarcta vasa reserare demonstrat evidenter experientia: antiseptica autem esse, possumus illud opinari. Neque enim experimenta Pringleana, omni cæteroquin fide, & laude digna, satis id suadere videbantur cl. Antonio de Haen, tum propter disparitatis rationem (aliud enim fit sub actione vitæ, quod non accidit extra illius actionem, & viceversa) tum propter eventum aliorum experimentorum, quæ consideratissimus hic vir opponere non omiserat.

§. LXXX.

Æthiologia videtur docere phthises in primo gradu pollere natura obstructionis: in secundo autem lentæ inflammationis.

Tunc cum phthisis primaria pulmonalis, reperitur in primo gradu, videtur, nobis exhibere ideam obstructionis. Docent tussis, dyspnæa aliqua, defectus hæmatopojesis, ac nutritionis, sputum sanguinis, seu ruptura alicujus canaliculi circa durum infarctum renitentem sanguinis transitui, pituita, quæ circa infarctum producitur, vel exprimitur, atque excreatur, tum cætera signa. Cum autem morbi progressu fiat, ut ejus infarctus sive tuberculi tentetur concoctio, scilicet suppuratio, evidens fit febris, & videntur inter cætera præeminere signa

signa nescio cujus phlogistici. Durities pulsus rarò abest, & sanguis, si emittatur, apparet plerumque phlogisticus. Hæc, & alia respondere videntur characteri illi lentarum inflammationum, qui apprime cognitus, & adnotatus fuit à Proceribus nostris. Species quædam spuriæ pulmoniæ lenti characteris describitur à Nicolao Pisone, in qua, & tussi, & lenta febri, sensim conficitur æger. Jecinoris inflammatio, observatore attentissimo Lommio, adeo interdum levis parvaque est, ut dolor, gravitas, omnisque morbus magna potius respiratione deprehendi, quam tactu debeat. Omnia sub hoc casu mitiora sunt, ipsumque vitium multis sæpe mensibus trahitur, antequam in suppurationem abeat. Nil magis notum, quam chronica, diuturna, obscura, & Medicos vexans indoles inflammationum mesenterii, quibus denique tabescentes obeunt ægroti.

De natura, & diuturnitate similiū inflam̄ationum, atque suppurationum. Oppositæ sententiæ utrasque curandi.

Evidentissimum est in primo gradu earum phthisium resolventia requiri, minime autem (parcant seniores) tot jura, decocta, syrup: pectorales, Chinā Chinā, antiseptica, narcotica. Esto: non ne hæc eadem, (parcant seniores) condemnanda sunt in secundo, & præferenda resolventia? Quotidie observant Chirurgi quid eveniat externis strumosis tumoribus, quoties isti suppurent. Fit nempe temporis lapsu rebelle ulcus, quo in curando frustra desudarent illi, nisi aptis resolventibus, præcipue mercurialibus, tumoris durities, quæ circumstat ulceri dissiparetur.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Autopsia docuit, cur interdum lentæ inflammatiões non auscultarint viribũ remedii.

RES est, quod ejusmodi lentæ inflammationes (maxime mesenterii, prout observare potuimus), non obediunt quandoque viribus remedii resolventibus. Tunc valde dura tubercula, durosque glandularum magnos infarctus, qui circumsidebantur inflammatione, reperimus in cadaveribus exenteratis.

§. LXXXII.

Quando igitur virtus sublimati antiphlogistica maxime pateat.

QUod asseveranter affirmamus, & memoria repetimus, illud profecto est, virtutem *hæroici solventis* elucere in curandis morbis meri, & manifesti phlogistici coaguli, maximeque egregiam hic comperiri. Vellemus, id ut adamussim acciperetur, ne objurgationes insurgerent. Clinici, qui observationes nostras in praxi comparabunt, citius, & evidentius detegent veritatem rei, si primum in rheumatismis acutis exploraverint hanc remedii virtutem, quemadmodum flagitamus. Sic enim unusquisque suadere id sibi facile poterit, quin eum aliquid deterreat, sive remoretur.

§. LXXXIII.

Cur hepatitides, & splenitides paulo serius, quam pleuropulmoniæ, obediant

NOn multos inveni hactenus laborantes aliis particularibus inflammationibus, uti hepatitide, splenitide, quibus libere potuerim *Antiphlogisticum* suppeditare. Ea de re tamen notandum occurrit,

in ali-

in aliquibus ex hepatiticis, & in splenitico paulo serius apparuisse salutiferos remedii effectus, quam in pleuropulmonicis. Tale discrimen porro nemo mirabitur; major siquidem fluidorum massa, & consequenter remedium, quo illa imbuitur, majori copia per vasa pulmonis dato tempore transmeare debet, quam per aliorum viscerum vasa. Tum quoque celeritas, & vis motus, quibus feruntur fluida, & contentum remedium per pulmones, majores esse debent, juxta leges hydrostaticas, ea vi, & celeritate, qua per hepar, sive per alia viscera abdominalia moventur. Quapropter etiam observare erit in hisce imi ventris inflammationibus minorem generatim symptomatum exasperationem, (etiamsi primam methodum sequamur), antequam exposita principia resolutionis appareant. Cui tamen adde, quod, cum pulmones sint respirationi dicati, & adaucta dyspnœa, quæ secum facile trahit anxietatem, atque jactationem, sit maxime terrificum symptoma in omnibus acutis inflammatoriis, maxime pectoris; hinc vel parum motæ, & exacerbatæ pulmoniæ, fieri non potest, quominus rem graviorem repræsentent, secus ac splenitides, vel hepatitides.

remedio. Cur etiam ante indicium minus exacerbentur, etiamsi prima methodus adhibeatur.

§. LXXXIV.

HIc opus est, ut serio animadvertam, quid in primis experimentis acquisierim: nimirum *Antiphlogistici* actione paulo nimis exasperari interdum symptomata phrænitidis, delirium, tremores. Quanto magis

Observationes, quibus prudentior exigatur methodus in curandis capitis in-

flammationibus, ex quibus iterum refellitur usus mercurii crudi, vel dulcis in morbis inflammatoriis.

magis id efficeretur vigecupla mercurii dosi! Unde confirmatur altera ex rationibus §. XXIX., allatis, quibus mercurii, vel crudi, vel dulcis usum in acutis non tutum credebam, sed excludendum præ usu sublimati. Consultum igitur, ut ad rem nostram redeamus, mihi fuit imposterum, in inflammationibus capitis curandis, nedum tertiam remedii partem, quam post reiterata experimenta in cæteris pedetentim adauxi; hic minime adjungere; verum etiam circumscriptam quantitatem epicratice una cum potu perhibere. Hæc suo loco explanabo. Insuper, nec eo suscepto consilio contentus, prudentiæ ergo volo, ut plures sanguinis emissiones præmittantur, antequam gradus fiat ad vocandum in usum insigne *Antiphlogisticum*. Ita rem se bene habere comperio.

§. LXXXV.

Ingenue referuntur observata mala oris, & horum causa ab usu sublimati. Sed hæc in usu mercurii quanto majora.

PRo mea siquidem loquendi ingenuitate convenire non possum cum iis Auctoribus, qui sublimati usum contra syphillidem commendantes, atque extollentes præ usu mercurii dulcis, significant non emergere ex primo, velut ex altero, nota mala oris, ptyalismum, tumores, dolores, & exulcerationes gengivarum. Si enim adhibeatur sublimatum in dosi paulo largiori, aut in ejus usu pergatur, non raro inferuntur ejusmodi mala sub hyemem præsertim, uti alias adnotavimus. Cum igitur sublimatum quoque natura sua signanter, & directe vasa capitis impetere, & afficere valeat, meretur

retur id in curatione phrænitidum animadverti: etsi impetus ejus, & affluxus humorum, quos ciere potest in capite, sint longe minores, si cum utroque mercurii effectu comparentur. Ea enim nocua vis, & directio adversus caput nonnisi a mercurii natura repetenda: quantitas autem mercurii, quo utimur, ad decem, aut duodecim grana pro unaquaque die, cum in dimidio grani sublimati, minor sit quam granum semis; hinc nocua illa vis, & inclinatio sublimati ad illam mercurii ratione debitæ utriusque dosis deberet circiter supputari, ut unum ad viginti, aut viginti quatuor. Utcumque sit, dummodo caute, ut animadvertimus, procedatur, experientia me docuit, *heroico Antiphlogistico* solvi phrænitides, quin ullum damnum inferatur.

§. LXXXVI.

Excretiones criticæ, quas producit remedium in phrænеticis, hepatiticis, splеniticis &c.

Quoad excretiones criticas attinet, tam in his, quam in cæteris morbis inflammatoriis, nullum adnotatur discrimen: sed res æque succedunt, ac in pleuriticis, & pulmonicis, si anacatharsim excipiamus. Per diaphoresim, sudores, alvi lenem solutionem, & sæpe etiam per diuresim remedii vis itidem agit. Illud tantummodo notandum:

De febri, quæ remanet facilius post phrænitides, & reliquas inflammationes reso-

fortasse paulò facilius superesse simplicem febrim post resolutas reliquas, & hasce inflammationes, quam post illas pectoris. Id quomodocumque se habeat, levem rationem merere videtur. Ea siquidem

lutas, quam post pleuritides, ac pulmonias.

quidem febris, si solis potionibus pertractetur brevi dierum curriculo denique abit.

§. LXXXVII.

Indicantur rationes, & occasiones majoris, minoris, aut nullius symptomatum exacerbationis sub judicio, aut resolutione morbi inflammatorii.

EXacerbatio symptomatum levior observatur ante criticas excretiones, uti diximus, in cæteris inflammationibus curandis, quam in illis pectoris. Dum Remedii vires agunt in stagnantem phlogisticam materiam, dum hæc in motum adigitur, & nondum satis attenuata, vel correcta, sed inimica naturæ per vasa circulat, quisque facile opinari poterit perturbationum originem. Quod si leniter, & pedetentim aggrediantur stagnationes, sive istæ leviores inveniantur, tunc phlogisticus humor paulatim, aut facilius in motum adigetur, & sensim in circulum adactus naturæ imperio minus repugnabit. Fac, ut sedes affectionis, in qua bellum infligi debet, non sit viscus dicatum nobilioribus functionibus, quarum læsio est major ille recessus a valetudine, tunc mitior quoque ea de re, nec adeò terrifica apparebit exasperatio: nulla denique quotiescumque facile contingat sollicita, & perfecta stagnantis sanguinis resolutio: cujusmodi felices sanationes aliquando vidimus in laborantibus cujusvis visceris inflammatione.

§. LXXXVIII.

Pleuritides aliquot, ac splenitides etiam ultra quartum

Imò, licèt mederi incœperim pleuritidibus aliquot, ac splenitidibus jam ultra quartum diem inceden-

cedentibus, observavi tamen, eas virtute *heroici* nostri *Antiphlogistici* interdum perfectè resolutas absque sensibili crisi, & quin ulla insurrexerit nova molestia. Phlogisticus quippe humor libenter paruit remedii viribus, omnique facilitate commutatus fuit in fluidum sanum meabile, & sanitatis legibus obsequiosum. Id evenit frequentius in corporibus puris, & optimi temperamenti. Memoria idcircò repetam, exacerbationem symptomatum ante morbi judicium, quoniam illa, aut major, aut minor, aut nulla interdum observatur, non pendere directè ex qualitate remedii nostri, quasi hæc male exiciperetur a charactere acuto inflammatorio.

progresse perfectè resolutæ sūt absque ulla prævia molestia. In quibus præcipue.

Iterum in medium producitur, quare non indicatæ exasperationes directè pendeant ex qūlitate remedii.

Reliquum duro nodo opponi debebat fortis cuneus. Pervicaciam, & magnitudinem coaguli, ac stagnationis, toties invincibilem cæteris artis auxiliis, ideoque lethalem, aggredi opus erat strenuo potenti resolvente.

Utcumque sit, opus erat potenti resolvente, quoniam potens est coagulum inflammatorium.

§. LXXXIX.

QUousque pervenire possit vis coaguli fluidorum in vasis, id nobis significant *membrana Ruyschiana*, crusta phlogistica, & concretiones polyposæ: vel illæ, quas passim reperire solemus in exenteratione cadaverum, ne dum ventriculis cordis, majoribusque vasis, verum etiam canaliculis adhærentes. Porrò, si *membrana Ruyschiana*, ipsi cæteroquin nostro Seni jamdudum cognita, eximatur a sanguine, notum illud est, quod sanguinis massa superstes, non modo nequat fungum, ut

Consideratur ex tribus rebus, quanta esse possit vis coaguli fluidorum.

ajunt, concinnare, sed funditus hæc dissoluta remaneat. Notum insuper est, quam tenax sit ista membrana. Probant hæc, membranam eam non esse aliud, quam sanguinis fibras: ex iis componi crustam phlogisticam: fibras nimirum inesse sanguini, & sanguinem fibrarum ope concrescere.

Quod si observare velimus tales fibras, referre illæ sane videntur albuminosam substantiam specifice leviorem rubra sanguinis parte, & quidem subalbidam; ita ut nescirem, quod umbratile discrimen intercederet inter membranam indicatam, seu fibrarum glomerem, atque cuticulam phlogisticam, & concretiones polyposas: sive comparetur color, specificum pondus, atque tenacitas, sive spectetur ratio, qua unaquæque earum efformatur. Nostra interest, juxta ingentem cujusque tenacitatem concipere, quanta, & incredibilis vis coaguli per morbos inflammatorios produci possit in sanguine, cum hujus fibræ insimul coagmententur.

§. XC.

Et magnitudo juxta copiosã quantitatem fibrarum in sãguine.

PRæter ejusmodi vim consideranda est summa coaguli copia, quæ in morbis phlogisticis fieri potest pro magna quantitate fibrarum existentium in tota sanguinis massa. Deducto siquidem calculo ponderis specifici membranæ, quæ in pluribus eruitur ex singula cruoris libra, mihi videtur fibrosa totius sanguinis pars supputari circiter posse ad drachmas quadraginta. Sed drachma una fibrarum ratione aliorum, quos illæ constringunt, humorum, quantam efficiet coaguli copiam!

§ XCI.

Facilitas, qua producuntur hæc coagula.

Porrò, nisi libera, æquabilis, & continua circulatio, successivus transmeatus per extremitates canaliculorum, aliæque leges assidue arcerent conglomerationem earum fibrarum, procul dubio necessarius fluor in sanguine minime servaretur. Sunt ubique fibræ æqualiter, & intimè dispersæ per omnem illius massam in statu naturali. Quod si oboriatur ex: gr: aliqua remora circulationis, facilius nihil fieri videtur, quam ut sese invicem illæ attrahant, atque concrescant. Si enim post fortem, vel diuturniorem æquo vincturam brachii, sanguis educatur, hic fungo tunc facile obtegitur: itidem in obstructionariis, in gravidis præsertim, in quibus fluida ob uteri pressionem remoram patiuntur, idem phænomenum sæpissimè observatur.

§. XCII.

Demonstratur ex experimento physico instituto ope microscopii solaris.

Dum Junior aderam experimentis, quæ cl. Physicus P. Iaqvier instituebat juxta morem quovis anno in Archigymnasio Romano, summa animi mei voluptate, ac attentione inspiciebam ope microscopii solaris fluidorum circulationem in pellucidis pedum ranarum membranis. Omitto cætera observatione digna, quæ modo ad rem nostram minime spectant. Si quo oborto obstaculo in extremitate arteriolæ omnes globuli ab apice retrocedere tentarent basim versus (minori quidem celeritate, quam

antea

antea percurrerent ad apicem) protinus in undam retrogradam incidebant : & interea temporis remoram evidenter patiebantur. Secunda autem unda intersistens retroprimebatur à tertia, quæ jam per basim fuerat ingressa ; donec totum vas ab apice ad basim quasi turgesceret contentis fluidis momentum temporis in eo conquiescentibus. Statim enim regurgitatio fiebat simul omnium undarum, quæ motus vim ammisisse videbantur, in majorem truncum ; illicò tamen eadem phænomena in ipsomet vase iterum iterumque apparebant. Id interim quoties fieret, toties particulæ aliquot fluidorum simul conjungi, & conglomerari observabantur. Glomeres isti repulsi in majorem truncum, & hinc ingressi in aliam arteriolam lateralem, cum angustiori diametro appropinquarent, & propter adauctam molem progredi non possent, juxta consuetum sistebantur cum aliis fluidis, & enascentibus item novis concretionibus, regurgitabant. Hujusmodi, & similia experimenta inferre nobis possent lumen ad intelligenda maxime illa, quæ fiunt in morbis stagnationis, tùm normam ad agendùm aliquanto magis perspicuam, atque singularem.

Eodem experimento demõstratur, quam facile orta in uno vase exigua sanguinis concretione multiplicentur aliæ.

§. XCIII.

ILlud quasi robur, quod ex naturæ lege cruori debet inesse in determinato gradu (hic videre mihi videor alium hominem internum Sidenhami) sumi profectò nequit, nisi pro mutua attractione ipsius sanguinis partium, & potissimum fibrarum. Attractio

Inclinat sanguis ad concretionem ex lege naturę. Et sẽsim coincidit sermo ad

tractio autem hæc quoad effectum idem est, ac inclinatio ad concretionem. Pro varia sane istarum fibrarum indole, ac proportionali quantitate, quam non eamdem esse reperimus in singulorum sanguine educto, major, vel minor fiet ea mutua attractio. Qualiscumque tamen sit, vis hæc signanter cohibetur, uti diximus, in statu sano à continuo circuitu, & transmeatu; unde fluida omnigenæ qualitatis miscentur interponuntur. Vix orta autem remora fluidorum, quoniam tunc attractioni huic datur libertas omnis agendi, statim producuntur concretiones.

considerādam actionem eorū, quę dissolutionem sāguinis, & quę coagulum inferunt.

Quemadmodum vero reperiuntur materiæ, quæ circuitu non satis obstante efficiunt in sanguine eadem, & fortiora coagula, ac remora; sic vicissim præter circuitum sunt, quæ sanguinem valde dissolvunt, ejusque etiam robur omnino pessundant. Prima actio spectat omnium maxime ad venena coagulativa, ad myasmata quædam occulta per aerem innatantia, quæ excitant morbos epidemicos coaguli, tum ad particulas frigoriferas, & quosdam spiritus acidos. Quare ii ab imperitis Chirurgis instillati in vasa disrupta vulneratorum concretiones generant tales, quæ in circulum actæ, sive in ramis venæ portarum, sive in arteriis pulmonalibus remorantes, anxietatem, dyspnæam, syncopes, & mortem intulerunt. Secunda actio spectat imprimis ad venena colliquativa, dein' ad spiritus, & salia fixa, volatilia, alcalina, ad salia cantharidum, myasmata febrium malignarum, ad seminium variolæ colliquativæ, & reliqua. Sicut in

actione

actione coagulantium concipere non possumus, nisi fibras sanguinis valide attractas, cohærentes, conglomeratas; ita in actione colliquantium opinari oportet, fibras eas, vel divisas, vel disruptas, destructas, vel attractionis viribus orbatas.

§. XCIV.

Actio sublimati in eductum sanguinem. Experimenta.

EA de re nos lubuit pluries instituere sequens experimentum. Infundebamus dosim sublimati in eductum sanguinem ægrotantium morbo inflammatorio: cum interim seponeretur in alio vase ultima ejusdem sanguinis portiuncula sine sublimato; si hæc enim obtegeretur cuticula phlogistica, & summa tenacitate polleret, uti eveniebat, multo magis in sanguine primum educto debuisset utrumque phænomenon apparere. Quoties vero cumque talia experimenta reiteravimus, nunquam sane factum est, (I°), ut is sanguis fungum exhiberet: (II°), ut non observaretur hic sanguis vix concretus, adeo ut cultro leviter agitatus facile diffringeretur: (III°), ut non appareret tota massa æqualis sine sero, neque serum exereret, etiamsi in comminutas massulas discinderetur.

§. XCV.

Quanta sit virtus, quę infertur sublimato à spiritu acido salis marini.

NOta est controversia apud quosdam Chemicos: an virtus sublimati tribuenda sit magis mercurio, quam spiritui acido salis marini. Inficiari quidem nequit, utrumque vicissim alterius vim vehementer corrobo-

corroborare. Interim, licet quantitas proportionalis spiritus acidi ad quantitatem mercurii in sublimato sit, ut 3. ad 16., nihilominus cum ab effectuum comparatione eruatur, grana viginti mercurii, si ex: gr: luis celticæ curationes sumantur, vix agere, ac granum unum sublimati, concludi posse videtur hunc spiritum acidum addere singulo mercurii grano vim circiter novem decuplam. Multa præterea, & magna mirabilia præstat sublimatum, quæ nunquam potuit efficere mercurius, vel in quavis largiori adhibitus dosi. Tandem vero, si eadem nuper exposita experimenta cum ipso mercurio dulci instituantur, neutrum eorum effectuum, quos indicavimus, valet hic unquam exhibere.

§. XCVI.

Quid arguendum de virtute interna sublimati, cum hoc extra vitæ actionem valeat coagulum arcere.

JUxta experimenta extra actionem vitæ instituta videtur sublimati virtus eo etiam pervenire, ut absque ullo motus impetu, seu violenta actione disrumpendi, sese fibris tantummodo interponendo; cohibeat vim istarum attractionis; quare, impedita concretione fibrosæ sanguinis partis, reliquæ, & signanter serosæ partes intime cum fibrosa maneant commixtæ. Si globuli sublimati in sanguine extra vasa valent arcere tenacitatem, & phlogisticam crustam, quid si convalidentur viribus vitæ intra vasa cum fluidis moti, & impulsi? Incidenti egregiæ virtuti spiculorum acidi spiritus robur accedit ex forti impetu motus, ex summa divisibilitate, & penetrabilitate, tum ex alia solvente occulta

nobis qualitate mercurii globulorum, quibuscum illa acida spicula arcte colligantur. Quomodocumque sit, sive disjiciendo, sive disrumpendo fibrosam texturam sanguinis jam coagulati, ac utcumque reprimendo vim attractionis fibrarum, sublimatum valet, uti nos experimur, tam arcere densitates, quæ ulterius possint, atque soleant efformari, quam absolute attenuare jam factas. Virtute sua impulsiva dat motum stagnanti, tum in circulum adactum phlogisticum humorem, nisi hic in inquilium fluidum possit commutari, de corpore evidenter extrudit. Cum magno solvente, & impellente, si curationis leges, seu indicationes spectare sententia est, erat omninò decertandum.

§. XCVII.

Argumenta in eos, qui incusarent talem usū hujus remedii, utpote veneni.

VErum hæc unusquisque facile intelligit: de confugiendo tamen ad hujusmodi venenum, hic alicui hærebit aqua. Age vero: talis, quæ indè resultat, solvendi vis, adeo quidem potens est, ut propter excessum venefica habeatur. An minus venefica vis phlogistici coaguli consideranda, quæ propter excessum multoties, cum neque frangi, neque cohiberi possit quibuscumque resolventibus adhuc usitatis, mortem affert hominibus? Ratio, & experientia docent, bina venena juvare. Præterea, magis ne præstaret, nulla habita majori cura, tot hominum vitas singulo anno relinquere morti, quam opem quærere a quovis genere remedii? Sentiat denique quicumque Medicinæ ignarus, præsta-

præstare, sublimatum tanquam acre venenum esse ab usu medico proscribendum. Sed hoc metu nunquam percelli deberent mentes Medicorum, qui satis superque sciunt, se alia non levia venena, & quasi venena perhibere ægris, quæ immò sunt pleraque ex valentissimis remediis, tanta cum utilitate ægrorum experta, nec non gloria artis immortali. Sine opio, quam defecta viribus remaneret Medicina? Quid non præstat spiritus vitrioli, (celebre illud Veterum remedium) in multis acutis, maxime in ardentibus biliosis febribus, quid non in hæmorrhagiis reprimendis? Cantharides, cicuta, aconithum, hyosciamus, aliæque plantæ veneficæ, fortiora drastica, & emetica antimonialia, spiritus, & sales volatiles alcalini, aqua calcis, aliaque tàm simplicia, quam composita, magis, aut minus retinentia vim deleteriam, nonne revocantur quotidie in medicum usum, & proficuum quidem, mirabilemque?

Præstantiora artis remedia multa sunt venena, & quasi venena.

§. XCVIII.

QUod si summa oppositionum redigeretur ad periculum vitæ, quod inferre posset error quivis circa dosim, methodum, seu injustam remedii applicationem morbo, nemo Medicorum non intelligeret, eadem plane ratione nos adversari posse usui ipsorum remediorum sua natura innocentium; quæque maxime actuosa sunt, atque necessaria, velut China China, Purgantia, Phlebotomia; Inertia quippè, quomodocumque adhibeantur,

Si summa oppositionum redigatur ad periculum vitæ, quod inferret error quivis circa methodum, levis illa est.

beantur, & si perperam applicentur, nihil fere nocerent.

§. XCIX.

Idem opponi posset contra usum Ch. Ch. Hic, quam sæpe perniciosus esse possit, & lethalis.

Cortex Peruvianus exhibitus sub accessione febris summa intulisse mala, & adhuc mortem, demonstratur experientia. Si usu ejus immaturo supprimantur febres depuratoriæ, facile oriuntur affectiones comatosæ, convulsivæ, periculum mortis. Unde ægre feruntur quidam, qui in usu accurato chinæ chinæ intermittentem benignam evasisse perniciosam conqueruntur, nec potius incusaverunt ejus immaturum usum, & imprudentem. Neminem Clinicorum latet cl. Albertini monitum: non esse nimirum supprimendas cortice peruviano eas febres intermittentes, quas produxerunt, aut comitantur suppressiones, aut recessus solitæ cujusdam evacuationis, ptyalismi, scabiei, podagræ, fluxuum ichorosorum, veterumque tumorum; aliter enim, nisi laudabiles crises forte fortuna usum corticis immediate excipiant, remota paulisper febri, cum sub maxime blandienti prosperæ sanitatis spe, in violentos subito morbos ægri incidunt: alii in inflammationes, febres acutas, parotidesque, alii in periculosos capitis affectus, stupiditates, paralyses, alii denique in apoplexias.

§. C.

PUrgantia, alter Medicinæ cardo, cujus unica ope non paucos morbos funditus profligare contingit, assumpta vero in inflammationibus stomaci, intestinorum, facile de medio tollerent ægrotantes: quemadmodum in cæteris universim acutis, cum diversæ crises instarent. Solutio quippe alvi, dum imminent aliæ crises, vel eas jam exequitur natura, non modo debilitando vires, sed etiam perturbando humorum vergentiam ad proprias vias, potest mortem afferre. Plerique solemus adhibere eccoprotica in curandis erysipelatibus: illorum tamen usus lethalis non semel observatus fuit in erysipelate faciei, dum corpus debile invenitur, & pulsus ferè languent; facta quippe metastasis ad pulmones, vel interius ad cerebrum, improviso necavit. Rustico leviter ægrotanti reiterabatur purgans, eo quod idem bis antea exhibitum fere nullum effectum produxisset. Tertio igitur purgante assumpto, supervenit hypercatharsis, quæ in obitum terminavit. Vix evasit alter, qui singultu, & sœvis convulsionibus aggressus fuit ab assumptione cathartici in adaucta dosi: nec cæteroquin evasisset, mea quidem sententia, si Medicus perexisset in usu narcoticorum. Oportuit leve emeticum injungere, quo eductum fuit catharticum: inde anodina, & cordialia profuerunt.

Similiter argumētari posset d. purgantibus. Quoties hęc imprudenter adhibita magnopere noceant, nec non interimant.

§. CI.

§. CI.

Obiter attinguntur aliquot casus, in quibus una phlebotomia occidit ægros vel inflammatorio morbo laborantes.

CUiquam hæc, & similia innotescunt. Una sanguinis emissio, qua potius delectari multi homines videntur, celebre tamen illud artis præsidium ad coercenda symptomata inflammationis, si instituatur in pulmoniis, anginisque malignis, citò potest fieri lethalis: non secus ac in erysipelatibus, variolis, morbillis, aliisque criticis cutaneis eruptionibus, cum habitus debilis, & pulsus langui-di reperiantur. Quid, si celebretur ea in quovis acuto morbo, etiam characteris vel maxime phlogistici, dum quædam imminentis crisis phænomena moventur, quæ fallunt effingendo morbi incrementum! Huic mehercule periculo non subjicitur usus *hæroici solventis*, & *moventis*. Constat experientia, nimis largam phlebotomiam in angina inflammatoria effecisse, ut in pulmones irruerit phlogistica materies, eaque metastasi ægrotus interierit. Neque raro accidere videmus, ut cynanche affecti, dum eis sanguis educitur, in deliquium incidant, atque ii, qui vix paucum spiritum colligere antea poterant, in deliquio suffocati protinus pereant.

§. CII.

Quare uti alia remedia, præter levia, possunt nocere, occidere, vel sanare pro

MAgna, inquam, artis præsidia, veneficum nec ne sapiant illa, si imprudenter ulla absque ratione, & methodo adhibeantur, vitam eripere valent ægrotantibus æquali facilitate, ac eam restituunt

stituunt rite pertractata. Levia, repetam, & magis inertia medicamina sunt ea, quæ, nec ne conveniant, sicuti vix, aut nihil prodesse, ita vix, aut nihil nocere posse judicandum. In leviori ægritudine, maximeque in rebus dubiis, atque obscuris solent ad hæc levia prudenter confugere Clinici; tunc quoniam plus interdum quiete, quam agendo, & movendo proficiunt: quemadmodum, juxta illud *Fabii*, Imperatores.

variis rationibus, quibus aptantur, & adhibentur, sic quoque sublimatum.

Antiphlogisticum nostrum procul dubio potens est remedium: quemadmodum læderet assumptum in optimo valetudinis statu, vel aliquali imbecillitate, ubi potius deficeret robur illud sanguinis, quod sanitatis leges exposcunt: læderet, ubi nullum adesset vitium coaguli, & stagnationis humorum: necaret demum adhibitum in morbos solutionis, aut ad solutionem inclinantes; Ita juvare, & sanare debet morbos oppositæ indolis, scilicet phlogisticæ densitatis: in quibus pariter nocuum evadere posset, si non habitis methodo, opportunisque rationibus exhiberetur. Plures exinde questiones fieri possent.

§. CIII.

PRimo quidem: An inflammationibus erysipelatosis curandis conferat *hæroicum Antiphlogisticum*?

An illud conferat curandis inflammationibus erysipelatosis.

Notum est, a quibusdam Recentioribus repræsentari erysipelas sub aspectu meræ inflammationis in serosis arteriolis, morbi nimirum meræ stagnationis, atque coaguli. Quin imo Veteres, eo quod

tanta

tanta religione haberent in hoc morbo curando malam humoris qualitatem, ab iis Recentioribus refelluntur, & quasi irridentur. Oportet, mehercule, fateri, Neotericum summum in tenebris apparere voluisse oculatissimum, tenebrasque expellere redigendo res medicinæ, aut parum, aut valdè reconditas, atque inter se discrepantes, ad maximam simplicitatem; atque, ut ajunt Philosophi, ad eamdem identitatem, quo perspicuæ, & apertæ nobis redderentur. Quod si simplicibus ejusmodi genii theoriis nos duceremur in praxi, sæpe fieret, ut prætermissis rationibus, quæ pluribus rerum differentiis necessario debent haberi, in præceps corruerent nostræ curationes. Quædam porrò particularia nos comparamus in praxi de natura erysipelatis, quæ differunt a natura meri coaguli, seu meræ sani humoris stagnationis. Temperamento ex: gr: biliosi maxime huic morbo subjiciuntur. Frequentia erysipelata sæpe observantur in vitio hepatis, aut cystidis fellis. In anasarca, ascite, aurigine, & melanyctero symptomatice oritur haud raro erysipelas. Supervenire hoc solet capitis vulneribus, ulceribus, atque contusionibus. Vidi quandoque erumpere erysipelas acquiescente febri intermittente, & statim ac illud evanuerit, febrim iterum accedere. Notum est, erysipelata raro in suppurationem abire: sed experiuntur Chirurgi malam pervicacem indolem abscessuum, qui ab erysipelatibus producuntur. Quoties autem desinit hic morbus, ac illico repullulat, sive in affecta prius parte, sive in alia! Serpit præterea in horas,

In consideranda natura erysipelatis refellitur, qui medicas res ad nimiam simplicitatem redigere voluit.

Quæ varia phænomēa doceant naturam erysipelatis non repetendam esse a mera stagnatione sani humoris.

in horas, atque de loco ad locum transeundi quasi ejus consuetudo videtur. Ratione profecto similium phænomenorum fieri non potest, (I.°) quin sæpe sit tenuis, & morbosus humor erysipelatosus: adeo abest, quod mere in stagnatione, atque coagulo peccet. (II.°) quin resideat in cellulari. Toties enim cessant febris, & aliqua inflammatoria symptomata, remanente tamen erysipelate. An tunc relicta illa vasorum, sese congerit humor in reliquam proximam cellularem?

§. CIV.

Considerantur obiter erysipelata maligna, & pleuritides maligno-erysipelatodes biliosæ Hippocraticorum. Cum natura eorum morborum respuat remedia antiphlogistica, sic quoque respuit sublimatum.

ACcedit insuper observata fuisse erysipelata maligna ad instar cancrorum serpentia, & exedentia ad ossium usque denudationem, & aliquando mortificationem. Notavit hæc ante alios Auctores divinus Senex *in epidemiis*. Constitutiones aliquot pleuritidum maligno-erysipelatodum fideliter refert Insignis Clinicus Ballonius, ubi advertit dolores laterum repentinos, & fugaces, tussiculas siccas, facilem metastasim, & levem potius difficultatem respirandi; quià fortasse, opinor ego, erysipelas, cum malignum est, parum tumet. Pleuritides ejusmodi, ait Observator, nullis cedebant remediis antiphlogisticis, imò innumeros eripiebant, quibus secta foret vena; quia (rationem affert), erant a sero acri indomito cuniculos, & viam sibi parante, erysipelatodes, non phlegmonodes. Huc referri quoque possunt biliosæ illæ pleuritides, quas omnes Hippocratici, aliique summi Clinici accuratè

distinguunt, atque describunt: & quas, observarunt, minime ferre consueta resolventia, sanguinis emissiones, methodum antiphlogisticam. Quapropter paucis concludi potest, ut unusquisque Medicus jam dijudicaverit, *hæroicum solvens* nullimodo tentandum in inflammationes hujuscemodi speciei erysipelatosas. Utile est, eas apud nostras regiones potius raro reperiri.

§. CV.

Valet tamen in cæteras diversi generis inflamationes erysipelatosas. Sed in duplici casu minus feliciter agit, ac soleat.

QUotiescumque tamen, sive per essentiam, sive per effectum in curandis inflammationibus erysipelatosis phlogistica præemineat densitas fluidorum, *Antiphlogistici* usus minime in dubium revocandus. Expertus loquor. Fieri quidem potest, ut pro maxima redundantia materiei, aut notabili acrimonia conjuncta minus felix experiatur remedii effectus, quam in meris inflammationibus; fama nihilominus non tollenda *hæroico*, cum istiusmodi curæ non accipiendæ sint pro lydio lapide ejus solventis virtutis antiphlogisticæ.

Exemplum praxis affertur.

Dum Juvenis temperamento potius cachetico inciderat jam in splenitidem, erysipelate afficiebatur ejus quoque facies: quod improviso post emissionem sanguinis, quam splenitis expostulabat, retrocessit. Illico inflammatio in splene magnopere increvit: imo & per imum ventrem sese universim propagavit summa cum gravitate, atque sævitie. Incredibile est, quousque invalescens morbus minitaretur obitum ægrotanti. Nullum omnino levamen ex qui-

ex quibuscumque artis præsidiis ; quare ad *hæroicum* festinavimus , cujus tandem actioni paruit talis morbus : paulo quidem serius , quam soleant meri phlogistici . Addendum vero , nos in similibus casibus inflammationum imi ventris , cum afficiuntur intestina , in refractiori dosi , ut exarabimus , *hæroicum* adhibemus .

§. CVI.

An valeat remedium in variolas ?

SEcundo . Ad variolas cogitanti , aut similes morbos , quibus nedum sanguinis coagulum , atque stagnatio , sed quid aliud inest naturæ inimicum , repetenda forent , quæ in prima quæstione declaravimus . Efficacia remedii relata ad primam partem patebit , si ea , scilicet coagulum , sit altera notabilior : palmam referet , si phlogistici causa ægrotantes vita periclitentur : quod magis familiare apud nostras regiones comperitur . Quapropter , si obtectæ remediorum compositioni cl. Suttoni inerat præparatum ejusmodi mercuriale , quod probabile est , parcant mihi Vanswietenii manes , quoniam ego adductus experimentorum meorum argumentis , concedendum Auctori putarem , necessarium ejus esse usum contra variolas . Imò non dubitarem cum ipso cl. Suttono declarare ejusmodi solventissimum remedium pollere vi quasi specifica adversus variolas , proùt morbum vere phlogisticum , si malignas excludamus .

 §. CVII.

§. CVII.

Nec non in inflamationes symptomticas febrium intermittentium?

TErtio. An' adhiberi possit, & debeat sublimatum in inflammationes symptomaticas febrium intermittentium? „

Natura earum febrium non respuit usum sublimati: imò fortasse huic paret.

Nemo, puto, in dubium revocabit, naturam intermittentium, tunc cum istæ ex: gr: adjunguntur inflammationibus coaguli essentialibus, quod interdum observamus, obstare nullimodo posse usui magni resolventis. Debellandis siquidem ejusmodi febribus conferunt aperientia, uti signanter sal ammoniacum, quod dummodo sit a nobis pluries reiteratum in diem, quasi versaremur in usu peruviani, valet intermittentes exulare. Ipso autem sublimato sanatas fuisse tales febres, videtur illud experientia Friccii constare.

§. CVIII.

De charactere primario hujusmodi inflamationum, fortasse nervino.

QUoad inflammationes symptomaticas periodicarum legimus, eas a quibusdam veteribus pro fluxionalibus reputari. Humorum revera collectionem ostendere prima fronte videntur phænomena, quæ inposterum hujusmodi ex: gr: pleuropulmoniis superaccedunt. Attamen, spectata, præter alias rationes, prompta, & mirabili alternatione, qua redeunt, & evanescunt tales inflammationes, nil probabilius, quam ut illæ cum suis phænomenis emergant à constrictione vasorum; agnoscant videlicet pro primaria origine motus nervorum convulsivos.

§. CIX.

§. CIX.

Cur nihilominus usus remedii hic judicetur necessarius.

Nihilominus, (I.°) ex physiologicis facile intelligitur sanguinem stagnare, & coagulari debere per effectum in his ipsis inflammationibus convulsivis. Tum (II.°) potest id demonstrari sedula autopsia, quemadmodum memoriæ traditum habemus ab eo usque tempore, quo tyrocinia ponebamus in celeberrimo Urbis Archinosocomio. Mos enim erat, ac viget in præsens laudabili Præceptorum diligentia tam in hoc, quam in aliis Nosocomiis, nescio quo excepto, fere quotidie versari in cadaverum extispiciis. Ut ad nos vertamus, passim (III.°) (res argumento praxis confirmatur) tertianæ pleuropulmonicæ, & phrænethicæ transeunt in essentiales, quasi dicam, continentes pleuropulmonias, aut phrænitides. Imo (IV.°) nisi id eveniret, impossibile videtur, quin tales ægrotantes possent occumbere, veluti accidit aliquandò. Adeo ut secundarius stagnationis morbus plurimi sit in iis casibus existimandus. Hinc Practici ob similes curandas affectiones, non omisso corticis usu, confugiunt ad cuncta antiphlogistica artis auxilia, eaque nedum juvantia, sed & necessaria experiuntur. Imò quidam necessarium esse ducunt, antequam usum corticis aggrediantur, venam secare quoties urgeat, aliisque remediis pro virili dissolvere sanguinis densitatem. Unusquisque igitur videt, an utile hic esset, seu potius necessarium ad nostram methodum confugere.

§. CX.

§. CX.

Experientiæ hujus rei.

IIs de curationibus non multas experientias adducere possem, quod ingenue fateor. Res hactenus bene se habuit, nec ulla modi, quo agit is morbus, convulsivi apparuit exasperatio, quæ formidari quodammodo poterat. Aliquos in Nosocomio tertiana pleuritica laborantes intra quatuor dies sanatos vidi solo usu sublimati, phlebotomiarum, & potionum absque china china. In aliis cæteroquin ægrotis curandis corticis usum non omisi juxta communem Practicorum consensum.

Sola ope sublimati absque ch. ch. fieri potuit, ut ejusmodi pleuritides sanarentur.

§. CXI.

In similibus inflamationibus curandis, præter usum sublimti, præfertur cortici sal hujus essentiale.

QUoad corticem peruvianum, videtur quasi forti animo opus esse, ut is in pulvere adhibeatur, signanter agendo de pleuropulmonicis febribus, ubi omnia diagnostica inflammatoria concurrunt, non levis apparet difficultas respirandi, nec negligenda anacatharsis: quibus omnibus actio corticis, parum apta videtur. In tali saltem casu nos sequimur eos, nisi res obstet angusta domi, qui salem essentialem proprio cortici præferunt.

§. CXII.

Non omnis putrida est putrida Boerhaavii. Imò quæ sæpe decurrunt

QUarto. An *Antiphlogisticum* nostrum congruum sit medelæ febris putridæ?

Si omnes febres putridæ pollerent eadem natura,

ra, atque hæc esset ea, quam recensuit Boerhaavius, quisque videt, vix in dubium revocari posse quæstionem. Sed videmus in praxi, esse omnino distinguendam a cæteris putridis febrim illam acutam, quæ debeatur causis inflammatione simplici majoribus, quæ pendeat ab obstructione phlogistica fere omnium arteriolarum, quæ secum ferat totius sanguinis lentorem, quocum singularis acrimonia possit indiscriminatim conciliari. Sub aspectu hujuscemodi morbi inflammatorii sumi profecto nequeunt illæ febres acutæ, quæ apud nostras Regiones, maxime maritimas, atque in Nosocomiis præcipue solent non raro decurrere. Quoniam in primo earum cursu apparent utique nonnulla phænomena, quæ phlogisticum referre videntur: progressu vero manifestari solet dominium nescio cujus acris in sanguine, & major, aut minor inclinatio ad septicitatem, atque solutionem. Hic profecto efficacem, imo & necessarium experimur camphoræ usum, & sæpe quidem copiosum. Sed non ne status hic morbi toto cælo differt à vera densitate sanguinis inflammatoria? Quid ergo dicendum de usu camphoræ antiphlogistico?

apud nos, valde differunt. In has quidem valde utilis camphora. Quid inde eruatur.

§. CXIII.

Observari sæpe potuit in iisdem putridarum constitutionibus diutius perseverare apparentis illius phlogistici phenomena: imò hæc magis magisque invalescere usque ad improvisam, sæpe lethalem evanescentiam, tunc cum Medici plus æquo phlebotomiis

Quinam observati effectus phlebotomiarū demonstrent in iis putridis phlogistici, qui apparet, existentiam subdolam esse.

botomiis

botomiis indulgerent ; quasi effrænum acre putridum , majori acquisito dominio , demonstretur esse maxime id , quod magnum illud phlogisticum effingat irritando . Copiosas venæ sectiones in tali febrium specie disponere ægros ad delirium , clinica est observatio , quæ subdolam ejusmodi phlogistici existentiam confirmare videtur .

§. CXIV.

Idem eruitur ex Autopsia.

NOn semel inspicientibus nobis cerebrum , & meninges demortuorum hujusmodi putridis post diuturnum sœvumque delirium , nullum sese exhibuit vel umbratile principium inflammationis . Imò fere exinanita cruore observavimus vasa meningum . In quodam cuncta vasa arteriosa penitus depleta reperiebantur , turgescentes vero sanguine venæ : quasi istæ circa saccum jugularem , sive *Torcular Herophili* , illa ab eo usque loco , ubi carotidibus internis junguntur vertebrales , summam constrictionem pertulissent , quæ ulteriorem sanguinis tam ingressum , quam egressum e cerebro præpediret .

§. CXV.

Iis ipsis putridis , quæ pollent evidentiori indole phlogistica , inest aliquid, quod phlebotomiis subigi nequit.

NEque tamen inficiandum , alias putridas evidenter stipari vero charactere inflammatorio . Nihilominus magnus ille Clinicus Sydenham , qui observatas tales febres ab inflammatione sanguinis repetebat , advertendo sanguinem emissum sæpissime pleuriticorum sanguinem æmulari , serio monuit , morbum

morbum talem in praxi non facile tolerare reiteratas phlebotomias. Ex hoc intelligitur, cl. Auctorem aliquid cognovisse per experientiam in natura similium putridarum præter veræ inflamationis conjunctionem, aliquid inquam, quod nunquam edomari penitus continuato usu antiphlogistico phlebotomiarum, sed imò exasperari potuisset.

§. CXVI.

Cur in nulla putridarũ specie determinari possit major, minor, aut nullus usus antiphlogisticorum.

Cum vero nemo possit unquam determinare, qui gradus phlogistici generatim huic febri præsit, vel in eadem constitutione; sic neque limitare usum phlebotomiarum, atque resolventium. Differt putrida à putrida pro varia constitutione, & qualitate anni tempestatum, cœli, temperamenti, causarum. Imò ea ipsa, quæ producitur ab eodem septico aeris infecti principio, velut nosocomica, dissimilis invenitur in Anglia ex: gr:, ac Mediolani, magisque dissimilis Romæ. In ea curanda cl. Pringle sese religiose, & utiliter semper abstinuit ab ulla venæ sectione. Anonimus Auctor Mediolani, procul dubio cl. Cera, qui nuperrime ea de febri sapienter pertractavit, fatetur ad eam curandam vix opus esse una, aut altera sanguinis emissione. Hic autem sub Cœlo Romano, & huic proximo, Medici nostri plerumque impelluntur ad reiterandam aliquanto pluries sanguinis emissionem.

 §. CXVII.

§. CXVII.

Infelices eventus ex immodica parsimonia phlebotomiarum in curandis iisdem decurrentibus nosocomicis.

RE quidem vera vidimus plures annos eodem tempore, quo endemice regnabant putridæ nosocomicæ, ægrotantes, quibus aliquis medebatur summa parsimonia phlebotomiarum, celeriter prolabi in pessimum morbi statum colliquativo similem. Id minime eveniebat aliis, qui contraria, & absque præjudicio sequuta, methodo curarentur. Nemo ignorat varietate methodorum illico commutari, non tam cæterorum morborum, quam putridarum aspectum. An non transitus ille e coagulativo ad colliquativum erat fallax, & subdolus? Observatio sane effectuum, quos utrinque comparabamus, non aliter docere videbatur. Relicta igitur phlebotomiarum ope invalescebant phlogisticum coagulum, atque stagnationes; unde cerebrum inflammatione facile obsidetur. Tunc autem excipitur larva veluti lentæ nervosæ; imminuitur quippe celeritas pulsus, ejusque pristina durities debet evanescere: fiunt sopor, tremores, ingens virium prostratio, urinæ claræ, & similia signa, quæ conveniunt æque putridæ malignæ colliquativæ, ac veræ cæphalitidi. Frequentius nihil esse puto, quam in hisce casibus nubem pro Junone captari.

Quomodo trāsitus putridarum e statu coagulativo ad colliquativum possit interdum esse fallax.

§. CXVIII.

Conditiones generales prębendi, nec ne Antiphlogisticum *in putridis.*

UBi putridum exuperet inflammatoriam sanguinis diathesim, & detegatur inclinatio potius ad colli-

colliquamentum, nemo quæret, an solvens nostrum conveniret. Dum gravia phænomena oriuntur ab ingenti acri putrido nervosum systema vehementer stimulante, nemo audebit uti nostro sale potenti. Quoties vero cumque accedat hæc febris maxime ad inflammatoriam, & evidenter præemineant phænomena coaguli constantia, seu potius hæc febris sit inflammatoria, quam putrida, quoniam tunc curatio penitus antiphlogistica confert, atque postulatur, valde proficuus habendus est usus *Antiphlogistici*. Utcumque sit, ea mihi lex est generalis: tunc tempori, & tamdiu adhibere remedium in his morbis curandis, cum scilicet, & quamdiu urgeant manifestæ indicationes resolvendi.

§. CXIX.

Ejus evidens efficacia in sanandis febribus inflammatoriis.

Quippe quod me praxis edocuit, febres natura sua inflammatorias libenter obtemperare viribus sublimati resolventibus. Verum hoc febrium genus apud nostras Regiones, si stricte sumatur, longe minus frequens est (ignoscant Boerhaaviani si utrumque distinguatur), quam illud putridarum. Illi igitur ægrotantes, quibus hactenus opem medicam præbui juxta compertam postremam methodum, vel citius, quam solent, evaserunt morbo, vel notabili admodum lenitudine fuerunt affecti. Post aliquem diem pulsus fiunt sensim molles: sensim celeritatem ammittunt: & excretionum viæ paulatim reserantur. Visa est aliquando actio

 remedii,

remedii, quasi frænum adhibitum, affectionibus viscerum jam incipientibus, cum istæ reluctarentur.

§. CXX.

Et qualis observetur in putridis, quo minus istæ recedunt a natura inflamatoriæ.

PUtridæ, quo minus recedunt à natura inflammatoriæ, eo magis methodo nostra subigi videntur. Plures observavi, quibus notabile inest coagulum, vim quasi ammittere ob remedii virtutem, & lente dissipari. Nunquam tamen mihi hactenus experientia patefecit, veras putridas obtruncatas fuisse hæroico remedio: quemadmodum aperte fieri solet in morbis vere inflammatoriis, atque in acutis rheumatismis. In his obtruncatio cursus naturalis satis abunde probat, vim sublimati solventem esse hæroicam antiphlogisticam. Talem autem exitum minime obtineri in putridis, confirmat praxim sentientis, has febres non esse confundendas cum morbis mere inflammatoriis.

Si comparentur effectus remedii in putridis diversi ab illis in morbis inflammatoriis, quid confirment.

§. CXXI.

Eadem accipienda, etiamsi putridæ stipentur inflammatione particulari. Affertur ratio.

EAdem, quæ dixi, accipienda sunt adamussim, etiamsi febres hujusmodi stipentur inflammatione particulari. Fit plerumque in inflamationibus symptomaticis, cum attento Clinico Rivherio consideramus, ut sanguis corruptus, aut pravis humoribus refertus, postquam febrim excitavit, exagitetur à natura, & tanquam sibi noxius expellatur ad partes nobiliores, aut humori recipiendo magis idoneas. In hoc rerum statu *hæroici* vires, etiamsi

etiamsi superent hujusmodi particulares affectiones, iterumque in motum adigant corruptum humorem, opus tamen minime absolvunt. Attenuare siquidem densum, si inveniant, movere stagnantem humorem valent: non autem putridum, quo inficitur sanguinis massa, corrigere, vel uti fit à natura spatio temporis determinato concoquere, (utar prisco vocabulo), & ad exitum præparare.

§. CXXII.

Cur insuper non in solo solvēte Antiphlogistico collocanda sit omnis curatio putridarum, etsi istæ stipentur inflammatione particulari.

Præter *Antiphlogistici* impotentiam hanc, accedit & alia: illud scilicet obsistere non posse putrido gastrico. In tribus constitutionibus synochorum pleuriticarum, quibus mederi debui in regionibus maritimis octo annorum spatio, oportuit non omissa ope Antiphlogistica, tanquam pro basi curationis statuere usum purgantium cum inferius, tum superius, si res sineret, atque postularet. Diu autem pergere in purgando, epicratice quidem, & per eccoprotica perutile fuit. Excusatione digni quodammodo erant Medici quidam proximarum regionum, qui cum neque experti fuissent unquam, neque observassent ab aliis adhibitam in his febribus purgandi methodum, rem hanc tanquam audacem pertimescebant. Quamquam fides aliqua præstanda ab iis esse videretur experientiæ tot Clinicorum, ipsiusque magni artis Magistri. Non est hic loci in sermonem venire de putrido gastrico, quod vel in ortu, vel in progressu putridarum inseparabile videtur, & cui medicinam facere,

Metuentes usum purgantium in putridis.

facere, res est in iis morbis maximi momenti. Notandum tamen hic erat, id, quod solvit coagulum, atque stagnationem sanguinis, liquor de nostro solventi, huic vitio gastrico non posse omninò consulere.

§. CXXIII.

An adhiberi possit remedium in biliosas æstivas? hinc de istarum natura.

QUinto. Ad curandas biliosas æstivas periculosum habeo multoties remedii usum; Aggrediuntur enim illæ statim cum impetu, secus ac solent putridæ evidentioris coaguli, præsertim hyemales: (quæ nisi rubram, serosam tamen partem evidenter condensant, unde catharrales apparent). Pulsus statim magni, celeres, vibrantes, non duri: calor ingens: sitis molesta: facies tumida ruberrima, & sublavo colore suffunditur, quemadmodum oculus. Symptomata hæc videntur indicare, non densitatem phlogisticam, sed in sanguine motos humores corruptos, acres, biliosos, qui irritant, & calefaciunt, qui pedetentim præparati, vel utcumque subacti ad intestina, & vias uropæas solent demandari. Unde patet, aliam hic offerri indicationem, ac eam, cui *Antiphlogisticum* possit satisfacere. Observamus autem phænomena gastrica facilius oriri in iis febribus post aliquot morbi dies, quam statim initio. An tales erant, quæ sub Cœlo Græco dominari solebant? An iis itaque congruit celebris ille Coi Senis aphorismus, *Concocta purgare, & movere oportet*,

Quando biliosis æstivis soleat supervenire vitiũ gastricum. An iis potius congruat Aph. Hip.

tet,

tet, non cruda, neque in principiis nisi turgeant, ut plurimum vero hæc cruda in principiis non turgent?

§. CXXIV.

Per transennam de ratione, tum de tempore purgandi in hujusmodi febribus, juxta monita, quæ noster Senex tradere minime prætermisit.

ET revera purgare antequam humor morbosus ad secretionem per intestina disponatur, actio foret violenta, & insuper frustranea. Purgare talium acutorum initio, dum corpora reperiuntur in orgasmo, dum vehemens est vis circulationis, maximus calor, irritamentum ingens, & extrema vasorum turgescentia ob rarefacta fluida, idem esset, ac rem magis magisque perturbare, & in majori periculo ponere, quin vel ullus a purgantibus effectus obtineretur. Tunc *præstat componere fluctus*: scilicet, vim motus refringere, diluere, refrigerare, venam secare, animo non resolvendi, sed impetum sanguinis cohibendi; ejusque ingressum in aliena vasa, vel effusionem in cellularem impediendi. *Si statim a febris initio*, (probe monuit Præceptor in lib. 2. de morbis ubi de febri continente a bile) *pharmacum dederis, postquam purgatus est æger, febris repetit, & rursus medicamento opus habet; quum autem corpus gracile, ac macilentum fuerit, tunc bibendum exhibe, & evacuabitur.* Et in lib. de locis in homine, dum tractat de febribus curandis, ubi lassitudo occupat, & febris, & corporis repletio, ait: *Medicamentum tamen, donec corpus floridum est, ne propinato, non enim vacuantur, nisi parum, utpote corpore turgente.*

Nullibi mihi visa est unquam aptior, & utilior,

lior, quam in hoc genere febrium, methodus purgandi per eccoprotica subacida, & quidem epicratice: methodus tuta, prudentissima, & efficax; quam didicimus ab egregiis Praeceptoribus nostris in arte experientissimis. Observavit Martianus egregius Hippocraticus, qui medicinam exercebat Romae, *eos, quibus in febribus ardentibus alvus fortiter soluta est, omnes tandem mortuos esse: eos vero servatos, quibus paulatim, & per multos dies alvus dejecit, sive biliosa fuerint, sive pituitosa, sive etiam dysentherica*. Sed e devio in viam.

Praxis Martiani, quę huic rationi respondet.

§. CXXV.

Qua idea, quibusque conditionibus adhibetur Antiphlogisticum *in biliosas adstipatas inflãmatione particulari.*

OPinor ego, uti referri potest febris inflammatoria ad inflammationem particularem veri phlogistici coaguli, ita referri posse biliosam ad erysipelas. Erysipelas autem, uti biliosa febris, concipere saepe solet multum phlogisticae densitatis. Plura enim sunt coagula, & stagnationes fluidorum, quae in multis acutis, ipsisque inflammatoriis per effectus ipsius morbi progressu temporis efformantur, quam quae soleant cum principio morbi connasci. Adde, nullibi fortasse facilius, quam in biliosis propter ingentem impetum motus, generari inflammationes ex effusione sanguinis in cellularem. Pleuritides, & phraenitides ex: gr:, quas inferunt hujusmodi febres, illas, dum invenio, equidem considero in praxi, tanquam erypelas partis, ubi & acre, & phlogistica densitas, inaequali tamen proportione, concurrunt. Tunc ad *Anti-*

phlogi-

phlogisticum cogito: Sed ita me gero, uti exposui in inflammationibus erysipelatosis, quo brevitatis ergo me referam. Caveo insuper in ejusmodi casibus ab usu Sublimati, nisi prius orgasmum, summamque febris violentiam ipse sedaverim. Illum denique sequor juxta postremam omnino, quam adducam, methodum. Sic felices experior curationum eventus.

Mihi nunquam accessit animus de usu remedii cogitandi in peripneumonias ex: gr: Foresti biliosas, cum observarem præter cætera calorem acerrimum, summam pulsus celeritatem, jactationem, & thoracis ardorem.

Nunquam tamen in pulmonias biliosas Foresti.

§. CXXVI.

SExto. Tuto autem aggredi posse putavi *Solventi* nostro pleuritides, pulmonias, metritides lacteas gravidarum, sive puerperarum; Nihil enim est in eo genere morbi, quod non exposcat resolventia antiphlogistica; nihil septici, quod dissolutionem fluidis minetur, acris nihil, quod irritet, & graviter lædat solida, quodque in motum adactum exaltari possit atque exasperari. Ex quo incœpi libere uti remedio, vix inveni hactenus occasionem instituendi similes curas. Quamdam nuper habuissem, nisi subdola rerum comparatio quandoque occurreret in Medicina, unde vel diligens Professor hallucinatur. Notum est Clinicis, febrim, quæ comitatur ejusmodi inflammationes lacteas, facile interdum apparere tanquam in radice periodicas.

In inflammationibus lacteis tutus, & necessarius usus Antiphlogistici *judicatur.*

Inflammationes lacteæ interdum periodicę apparent. Hinc casū metritidis lacteæ sub fallaci aspectu perniciosæ hysteralgicæ.

Talem profecto sese exhibebat mihi febris in metritide puerperæ, quam non omissis cæteroquin, uti ferunt artis leges, consuetis præsidiis antiphlogisticis, pro perniciosa hysteralgica sumpsi juxta anni constitutionem, pluraque rerum adjuncta. Unde magis necessarium esse duxi, solummodo insistere usui corticis peruviani, (quoniam hic nimis ægre ferebatur) quam adjungere etiam *Antiphlogisticum*, licet utilissimum. Puto equidem eventibus fuisse errorem detectum. Primo enim, non obstante corticis usu satis copioso, sese morbus produxit. Secundo: metritis hæc transivit in pleuritidem sinistri lateris, & post diei lapsum in eam dextri: quæ facilitas transeundi ex una ad alteram partem propria est lactearum inflammationum, pro lactis depositione. Tertio: vix cessavit pleuritis dextri lateris, ac ad ægrotantis mammas lactis copia largiter affluxit.

Proprietas lactearum Inflãmationum.

§. CXXVII.

VArias morborum species amplectitur genus, seu potius dicam, vocabulum inflammatorium. Plura possent exarari, si otium daretur, & scribendi commodum. Qualis sit natura morbi, quam invadit, & debellat nec ne sublimatum, videor id satis declarasse. Usus nos plura docebit.

Inutilitas remedii in peripneumoniã notham Boer:, & in similem morbum mediastini Jacot.

Quovis anno incipiente hyeme, aut sub ver solet peripneumonia notha aggredi, videtur improviso, corpora quædam obstructionaria, cachetica, quæ pravis humoribus scatent: qualia, præsertim

inter

inter nostros rusticos, multa reperiuntur. Iis igitur jamdiù aggeritur in pulmonibus colluvies viscidi corrupti humoris, quin manifesta febris accedat. In mediastini cavitate simile recenset morbi genium Jacotius. Quidnam in hasce collectiones humorum copiosas, jam efformatas, valere posset solvens, vel majus ipso sublimato, si unquam detur? Nihil profecto.

§. CXXVIII.

Luce igitur clarius, tam utilem, quam inutilem, aut perniciosum effectum sublimati, sicuti cujusque remedii, vel innocentis, vel veneficæ naturæ, dependere potissimum ex eo, quod scite, vel perperam illud applicetur. Cum præterea, id etiam fieri posset, uti de cæteris remediis superius attigimus, à dosi, tempore, methodo, quibus illud adhiberetur; hinc modo de iis verba facienda. Ipse non dubito, quin omnium consensu judicetur mercurius sublimatus, utpote egregium satis expertum resolvens, omnium efficacissimus esse debere in solvendo inflammatorio coagulo, & stagnatione. Metuetur, ne actio remedii consentanea sit hujuscemodi morbi conditionibus, adeoque graviter lædat. Age vero: nos præterquamquod adhærentes continuæ effectuum observationi, lento pede fecimus gradum in experiendo virtutem remedii, a febricitantibus syphilliticis ad eorum parvas inflammationes, ab his ad cancros cum febri, tum ad rheumatismos chronicos, hinc ad acutos, prius

Ex quibus igitur præcipue pendeant effectus utiles, aut inutiles, & noxii sublimati. Hinc de methodi prīcipiis caute adhibitis.

quam induceremur ad medendum cæteris phlogisticis morbis ; Tum quoque, cuncta pericula ut præcaveremus , etiam atque etiam curavimus magis proprias , & prudentiores methodos suscipiendo . Tædio foret res , si ex: gr: recenserentur exiguæ doses , quas initio experimentorum , etiam subdivisas , epicratice voluimus exhibere . Id obiter attigisse satis sit , quo constet , in rebus tanti momenti nos gessisse maxima , quæ unquam posset prudentia postulari .

§. CXXIX.

Varietas dosium sublimati, quibus usi fuerunt Auctores in luem veneream.

ET primo quidem , quoad dosim erit ad rem considerare id , quod Medicis innotescere debet: nimirum varias esse doses , in quibus Auctores , qui adhibuerunt sublimatum contra luem venereeam , versati fuerunt . Ut cætera , quæ referre inutile est , reticeamus , tribus utamur exemplis , maxime inter se discrepantibus . (I.°) cl. Turner exhibuisse scimus remedium , bifariam quidem , ad sex usque circiter grana singulis diebus . Audax sane methodus , laboriosa , molesta , periculosa , quam ipse Professor denuò refellit . (II.°) Viceversa eruditissimus Medicus Parisinus Je Begue de Presle , consuevit præbere remedium ad tertiam quartam , & octavam quoque grani partem in diem : (III.°) Quantitas duorum granorum pariter in singulos dies accepta Friccio fuisse videtur .

§. CXXX.

§. CXXX.

Cum nos primum ab anno 1768. mederemur syphilliticis, versabamur in grani dimidio, & quidem bipertito pro unaquaque die. Eademque plane ratione nos gerebamus, cum primum adhiberemus sublimatum in affectiones rheumaticas chronici generis, & arthriticas. Pedetentim vero in iis morbis, curandi causa brevitatem sanationum, quo nihil jucundius ægrotis, quo honorabilius nihil Medico, tentavimus adaugere dosim. Cum grano uno, juxta nostram methodum, vel ab ipso primo die possumus feliciter aggredi, & continuare hujusmodi curationes. Ascendere autem ad granum unum & semis nunquam solemus curationis initio, sed progressu, neque in omnibus indiscriminatim; videmus enim hanc quantitatem aliquibus inferre vomitum, aut diuturnam nauseam, & stomaci molestias: tum quoque sub hyemem præsertim intra paucos dies, tumores, dolores, & exulcerationes gengivarum cum ptyalismo. Si quod tamen catharticum frequenter reiteretur, non obstante ea leni alvi solutione, quam sæpe inducere videtur remedium, non modo incommoda illa præcaventur, verum ad sanitatem etiam properare magis solent ægrotantes. Hac sermonis occasione notandum, talem dosim exacerbare in quibusdam valde sensibiliter dolores, antequam eos, & eorum causam dissipet.

Determinantur doses in rheumatismos chronicos, & arthritides.

Quæ incommoda afferat aliquibus dosis grani unius & semis, quommodo illa præcaventur, & imò acceleratur sanatio.

Eadem dosis in quibusdam nimis exasperat dolores antequam tollat.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Monetur, ne in pervicacioribus quibusdam casibus luis venereæ, aut arthritidis, nimis diu protrahatur usus sublimati. Quare.

NEcessum esse puto hic loci animadvertere: imprudentis esse, nimis diu protrahere usum sublimati, cum pervicacia morbi vehementer ejus viribus renititur: quod interdum fit in lue venerea, & inveteratis affectionibus arthriticis. Illud ita sentio adductus experimentorum, quæ hactenus mihi innotuere, argumentis. In arte medica non debemus amore immodico prosequi, laudibusque extollere remedia ita, ut non fatendum sit ingenue, quoties illa cumque lædere possint. Mihi videtur in pervicacioribus casibus (qui plerumque sunt luis venereæ paralysum, & quandoque arthritidum) nisi quinquaginta, aut sexaginta circiter grana valeant morbi vim prosternere, ulterior pertinax sublimati usus posse saltem ad hydropem disponere ægrotantes. Qui comprehendit hæroicam in solvendo actionem remedii, facile quoque hujus damni rationem intelliget. Tale vero, & similia damna, cum possint emergere ex imprudenti abusu quorumvis resolventium, atque deobstruentium, nec non ipsius phlebotomiæ, neminem, puto, Medicorum a proposito nostro deterrebunt.

§. CXXXII.

Dosis remedii, & eam adhibendi ratio in rheumatismos acutos.

IN curandis rheumatismis acutis statuere per experientiam potuimus pro adultis non gracilibus corpo-

corporibus dosim unius grani in singulos dies, tanquam satis efficacem, quæque vix parum aliquando stomacum perturbat. Dosim enim hanc trifariam dividimus: singulam scilicet partem octava quavis hora perhibemus. Interdum in his acutis quoque, sed progressu pervenimus ad granum unum & semis trifariam pariter, sed aliqua habita ratione, atque necessitate. In summis duodecim, aut quindecim grana plerumque sufficiunt, quo æger omnino sanetur. Ualent autem resolvere inflammationes viscerum particulares tria, vel quatuor grana sublimati, aut ad summum quinque: tunc præsertim cum aggressa non est curatio statim in ortu morbi, & morbus gravis est, vel cum abdominalia viscera obsidentur. Nil mirum, si ad debellandum rheumatismum acutum dupla major requiratur remedii quantitas, & tanto majori tempore opus sit, ad hoc ut tam incipientis resolutionis indicia, quam integræ sanationis effectus assequamur; Coagula enim, & stagnationes, quæ opponuntur solventibus remedii viribus, multo majora reperiuntur in rheumatismis acutis, quam in inflammationibus particularibus.

De diversa quantitate remedii, quæ requiritur pro integra sanatione eorum, & pro sanatione inflammationum particularium.

§. CXXXIII.

Perpendere aliquid oportebat in componenda methodo exhibendi pauca illa sublimati grana ad curationem inflammationum. Experientia duce, scilicet attenta effectuum observatione, cognovi inquam

Quæ dosis singulis diebus sit absolute circumscribenda in curandis inflammationibus. Cur?

quam in rheumatismis acutis, post aliquem diem sæpe fas esse, pervenire ad granum unum & semis intra diem; hoc est exhibere granum semis octava quavis hora. Brevis sane, & periculosus inflammationum cursus postularet, ut intra brevius temporis spatium, & major, quam fieri possit, remedii quantitas sumeretur ab ægris. Verum Primo: magis mollis, & delicata est structura viscerum, quam illa musculorum. Secundo: exasperationem symptomatum, quæ juxta exemplum rheumatismi proportionalis foret majori remedii quantitati, in affectione viscerum acuta non sine magno vitæ periculo ferrent ejusmodi ægrotantes. Tertio considerandum, experiri majorem facilitatem vomendi remedium in inflammationibus particularibus, quam in rheumatismis acutis. Quapropter in casu inflammationum nihilo magis, quam granum unum intra viginti quatuor horas posse tuto propinari videmus, & diversa quidem methodo.

§. CXXXIV.

In octo præsertim casibus debemus, in omni autē casu utile est cōmutare methodum adhibendi remedium, quam commendamus in rheumatismos acutos. Cur?

Cum prima inter experimenta præberem inflammatione laborantibus solummodo granum semis per dies singulos, satis esse demum observavi illud bipertiri pro mane, & vespere. Idem fere eveniebat cum ad tres quartas grani partes tribus vicibus assumendas perveneram. Ascendendo autem ad integrum granum, ne satis quidem est aliquoties, illud trifariam dividere; quædam enim

gravia

gravia phænomena, aut sæviorem ipsorum symptomatum exacerbationem, quam quæ ferri indifferenti animo possint, superaccedere quandoque videres. Idque præsertim (I.°) in phræneticis, atque (II.°) in pulmoniis violentioribus, vel (III.°) jam ultro progressis absque curatione, (IV.°) nec non in putridis inflammatoriis, in quibus caput afficitur: (V.°) ubi dispositio est ad motum convulsivum; (VI.°) in inflammationibus biliosis atque erysipelatosis. Omnium autem maxime (VII.°) ubi magnus affluxus ad inflammata viscera, aut (VIII.°) colluvies humorum emineret. Quapropter periculum gravioris exasperationis, tot in casibus, ac si fieri poterat in omni, arcendi gratia, quin imminueretur quantitas remedii, quæ, quo major, eo magis resolvit, prudenter ad aliam methodum erat confugiendum: eoque magis, quod remedium modo indicata ratione assumptum solerent aliqui laborantes præsertim inflammationibus evomere, uti nuper adnotavimus, & huic quoque rei nobis esset consulendum.

Etiam evitādi gratia vomitum, qui frequentior in inflammationibus.

§. CXXXV.

Accedere possumus ad eligendam, & statuendam magis propriam methodum, atque interim aliqua de hoc vomitu considerare, quæ ad ipsam methodum valde collimant. Præter idiosyncrasiam, facilius vomitum accidere observavimus in quibusdam morbis, quam in aliis, in

Observationes de hoc vomitu: & quando hic maxime producatur.

 peri-

peripneumoniis ex: gr: , quam in rheumatismis acutis; quoniam peripneumonici vomitionibus quodammodo obnoxii reperiuntur. Quod si oritur nausea, aut vomitus in rheumaticis; fit id post diuturniorem sæpius, quam in recenti usu remedii.

Generatim loquendo observari maxime solet vomitus: (I°.) si dosis dimidii grani pro singulis viribus statim initio cujusque curationis tentari velit: (II°.) cum non præmittitur eccoprotici usus etiam in acutis: vel (III°.) si stomacus infarciatur pravis materiebus, quod diligenter notandum: (IV°.) cum nimis parca spiritus, ubi dissolvitur sublimatum, quantitas, vel debilis qualitas adhibetur.

§. CXXXVI.

Videtur in praxi sublimatum quasi corrigi spiritu acido vini, vel frumenti.

VIdemur enim nos in praxi experti fuisse, hoc sal corrosivum quasi corrigi, & mitius reddi, si cum acido vini, vel frumenti spiritu conjungatur; etenim observamus proportionatam copiam spiritus requiri ob remedii non nocuam, sed efficacem dissolutionem. Non quæram hujus phænomini rationem à Chemicis. An ex eo, quod acidum debile additum vehementiori, vim hujus moderetur. An ex eo, quod hoc salis genus (utcumque res se habeat) sit parum dissolubile in aqua, contra vero à meraciori acido spiritu subtilissime, prompte, & omnino dissolvatur, secus ac accidit cæteris salibus. Res est apud nos, quod

Quos nocuos effectus pariat

hujus dosis dissoluta in semidrachma spiritus, aut

in

in debili spiritu intulit eisdem turbas, inquietudines, vomitum, tormina, quod non effecit eadem dosis in dupla spiritus quantitate, & in vehementiori spiritu dissoluta; etsi quovis in casu adjunxerimus huic compositioni satis copiosam aquæ hordei quantitatem.

sublimatum, si solvatur in debili spiritu, aut in parca hujus quantitate.

§. CXXXVII.

De necessaria experta quantitate spiritus ob usum antiphlogisticum sublimati.

QUapropter in quocumque casu, etiamsi agatur de phlogistica densitate curanda, quæ respuit quidquid natura sua coagulat, atque calefacit, tamen necessaria erat spiritus vini, vel frumenti conjunctio, & determinata proportio. Una porrò hujus drachma sufficeret pro tertia grani parte: Verum ut evitaretur noxa aliqua, quæ fieri posset, si pharmacopola suppeditaret spiritum potius levem; atque ut evitaretur error circa quantitatem, & inde damnum, quorum alterum eo notabilius, facilior alter quo magis exigua sunt pondera; hinc drachmas duas spiritus pro tertia singula grani parte decrevimus adhibendas. Ui reiterata diversorum tentaminum pro certo exploratoque habuimus, ejusmodi dosim spiritus satis superque proportionatam esse, tum nihil afferre detrimenti ratione suæ phlogisticæ qualitatis.

Prudentissimus Van Swieten scribebat, se constanter usum fuisse remedio contrà luem celticam in ea proportione, quam cl. Sanchez Archiater olim Russorum Imperatricis, ipsi indicaverat; medii nempe grani ad unciam spiritus.

 Nobis

Nobis autem in medendis morbis inflammatoriis curandum erat, ut minorem, quam fieri posset, copiam spiritus assumerent ejusmodi ægrotantes.

§. CXXXVIII.

Absque conjunctione camphoræ Antiphlogisticum *experitur eque valentissimū. Cur tamen ea non relinquitur, sed in dosi longe refractiori consueta.*

ANnuimus superius, quam levis sit fides, quam plerique solent in hisce morbis curandis usui camphoræ præstare. Re quidem vera, illo diutius relicto, nos pari felicitate comparavimus in praxi nostræ methodi eventus. Merebit tamen recenseri sal istud virtute sua penetrante, & movente inter antiphlogistica. Quapropter, & quoniam utile habetur ab experientissimis quibusdam Viris, nolumus hoc remedium omnino respuere. Mens enim nunquam fuit refellere cætera artis præsidia, vel parum utilia, quo *Hæroicum* nostrum extolleretur. An ex conjunctione camphoræ potius demulceatur illa, nescio quæ sensatio siccitatis in pectore, aut tussis (effectus nempe interdum proficiscentes ex diuturno continuato usu sublimati) id nondum in praxi comparavimus. Imo fortasse ardor in stomaco ex camphora adaugetur. Utcumque sit, hæc cum sublimato sæpe a nobis conjungitur animo ciendi in solidis majorem, si res postulet, motum, atque oscillationem. Ad refringendum tamen nimium irritamentum, quod camphora evidentissimè infert, conjungenda est in dosi tenuissima, & refractiori consueta. Compositio integra, quam præscribimus, sequens est =

℞. *Su-*

℞. *Sublim. corrosiv. pulv.*
in vase vitr. gr: xvj.
Camph. ras. gr: xxxij.
Sp: vin. recte alKooliz. lib. j.
M.

Formulæ schedulæ Sp. Antiph.

Imposterum brevitatis in scribendo causa nuncupare consuevimus in Nosocomio, tum apud aliquem urbis Pharmacopolam, hunc *Spiritum Antiphlogisticum*; & ita me paucis expedio addendo aptum syrupum, & aquam =

℞. *Sp: antiphlogist: drach: ij.*
Syr. fl. rhœad. unc. j.
Aq. hord. unc. iij.
M. Reiteretur ter in singulos dies.

Quando relinquenda est camphora.

Quoties agitur de sexu fœmineo, & de iis, qui subiiciuntur nervorum affectionibus, aut de morbi specie, cui minus, quam fieri possit, conveniant ea, quæ fibram stimulant; tunc camphoram detraho: & præscribo *Sp. Antiphlogist: sine camphora.*

§. CXXXIX.

Ratio exhibendi Antiph. *in Rheumatismos acutos.*

Si singula illa potio octava quavis hora, uti indicavimus, assumatur, methodus est conveniens, accomodata, aptissima, & in supremo gradu efficax ad medendum rheumatismis acutis: aptari quidem potest multis morbis inflammatoriis; cum vero incongrua sit allatas ob rationes variis casibus, tum omnino quibusdam speciebus; hinc universalem, & in omnibus tutissimam methodum

ad

ad cæteros morbos inflammatorios ut statueremus, necessum esse judicavimus, quo minus experti neutiquam hallucinarentur.

§. CXL.

Quare alia peculiaris habenda sit in omnibus inflammationibus. Hujus rationis utilitates.

OPtimum igitur erit, exceptis rheumatismis acutis, jubere, ut cæteri ægrotantes inflammationibus sumant remedium cochleatim juxta præscriptam schedulam ter singulis diebus repetendam in adultis, non gracilibus, corporibus. Sic paulatim, ingrediente vasa remedio, quod densum est, atque stagnat, resolvitur: neque illico simul totum aggreditur, & summovetur vitium inflammatorium. Res ita bene se habet, (I°.) etiamsi vires non satis valeant, & phlogisticus humor difficulter se educi patiatur ab infarctis vasibus, uti accidit in violentioribus inflammationibus, vel jam ultro progressis. Reliquum quippe, qui adhuc per vasa circulat, phlogisticum sanguinem, neque opus, neque labor est, ut remedii vires attenuent. (II°.) In phrænetícis, & in putridis coaguli, in quibus caput afficitur, atque ubi systema nervosum pronum ad tremores, & convulsionem reperitur, actio remedii sic adhibiti non exasperat symptomata, neque irritat, antequam referat palmam, eo modo, quo fieri juxta aliam methodum observavimus. (III°.) Cum magnus invenitur humorum affluxus ad partem affectam, vel hic metuitur ob colluviem in corpore redundantem, vel adsit pletho-

plethora, vel indoles humoris phlogistici impertiatur acri bilioso, erysipelatoso, sic tutius suscipitur curatio non confestim, sed sensim tentando resolutionem, atque evacuationem. (IV°.) Per ejusmodi methodum efficitur; ut libentius temperamenta sicca ferant actionem remedii. (V°) Hinc evitantur effectus cujusque irritamenti in stomaco: & generatim vel modificatur, vel omnino arcetur exasperatio illa symptomatum, quæ oritur ex humore phlogistico stagnante cum hic viribus remedii renitatur. (VI°.) Denique ex hac methodo eruitur notabilis utilitas, quandoquidem major remedii quantitas potest ægrotantibus exhiberi.

§. CXLI.

Quo in casu omnium maxima necessitas hujus methodi.

IN pulmoniis violentioribus propter universalem pulmonum inflammationem, maxima copia, uti docet Autopsia, accumulatur sanguis circa ventriculum cordis dextrum, & vix paucus transmittitur ad sinistrum. Ita ut observemus in ejusmodi ægrotantibus pulsus exiles, debiles, tremulos, corporis refrigerationem, vultum, & os inflatum, oculos turgidos, fixos, inflammatos, summam anxietatem, oppressionem pectoris, virium insignem prostrationem, & cætera cognita symptomata. In hoc misero statu quisque videt modum, & tempus agendi fere de esse viribus *Antiphlogistici*. Imo nisi contingat, ut violenta obsidionis vis modificetur sanguine statim emisso, &

qui-

quidem eodem tempore ex utroque brachio, pluribusque vesicantibus ad extremas partes applicatis, sua cuique præmissa cucurbitula scarificata (acerrima enim, & prompta debet esse pugna in imminenti vitæ periculo) videtur opportunum non esse movere ad remedium festinando. Quoties autem id agere consultum ducatur, quam imprudens, audax, & periculosa foret methodus, quam sequimur in rheumatismos acutos, tam prudens altera experitur, utilis, & necessaria.

§. CXLII.

Methodus hæc non exuit remedium perquisita efficacia, uti ratione, & exemplo ostenditur.

Methodus hæc peculiaris exhibendi sublimatum epicratice, seu quod idem esset, una cum continuo potu, modificat, uti diximus, actionem remedii, quod utile est, atque exoptandum erat in aggrediendis inflammationibus; neque exuit tamen illud virtute, quæ perquiritur, &, quæ sufficiat, efficacia. Quam dilutum sit ferrum in aquis mineralibus ferrugineis patet: aliunde quam efficax, imo efficacius! Constat evidenter per experimenta chemica, quod si granum unum vitrioli metallorum dissolvatur vel in centum aquæ libris, singula hujus gutta retineat in se proportionatam ejus vitrioli particulam. Opinari igitur possemus, sal nostrum divisibile esse quasi in infinitum; idque efficit, ut, quantumvis dispergatur illud in copiosam fluidi quantitatem, hæc tamen dispersio non destruat ejus vires; quoniam nil aliud agit, nisi separationem glo-

globulorum sublimati, quorum singulo remanent omnino propriæ eædemque dotes.

§. CXLIII.

ORo interim, ut animadvertatur quidquid circa determinata tempora effectuum, & actionis remedii, exposui superius, id omne magis ad unguem referri posse ad antecedentem, quam ad hanc methodum posteriorem. Aliqua hic observatur signorum, quam solventis actio inducit, vicissitudo. Pulsus minus immutantur, antequam majorem latitudinem, mollitiem, & æqualitatem acquirant, quod paulatim evenire observamus; sensim quippe ac sine sensu agendo, remedium non ciet eas exacerbationes symptomatum, quasi criticas, quas supra adnotavimus. Neque tamen non fit, ut debitæ paulo citius aut serius promoveantur excretiones. Adnotanda hæc diligenter erant: tum addendum, juxta posteriorem methodum paulo quidem serius, & potius lente resolvi inflammationes: spatio nempe quinque dierum ut plurimum; etsi plerumque post tertium, aut saltem quartum illæ ulterius increscere non videantur. Idem data proportione fieri in rheumatismis acutis comparavi pro mea discendi voluntate. Quare majora semper adjunguntur, & evidentiora argumenta, quæ reapse probant veram in sublimato virtutem antiphlogisticam. China China, aut opiata, quorum eo quod magni effectus, quos producunt, proprii omnino sunt, &

Effectus remedii juxta hanc methodii quoad pulsus, & cætera differunt quodammodo ab iis, qui in alia methodo observantur. Sanatio morborum paulo tardior. Quid inde arguatur.

ab iis remediis absolute dependent, si exhibeantur hac item ratione epicratica, nemini ignotum illud, quod lentius quoque operentur, & sanent. Ecquis de camphora id ausit pronunciare?

§. CXLIV.

Quæ dosis, & methodus observanda in pueris.

GRanum unum sublimati in diem nos assignavimus pro dosi corporibus adultis, nec gracilibus. Pueris vel rheumatismo, vel inflammatorio alio morbo affectis exhibuimus tertiam, quartam, aut quintam grani partem juxta ætatem, atque temperamenti gracilitatem. Eam insuper exhibuimus in potu quotidiano: & res feliciter cessit.

§. CXLV.

Item in inflamatione vētriculi intestinorum, & in iis ægris, qui præter acutū, laborant vitio organico. Observatio, & monitum de hoc ultimo casu.

DUplici in casu nos usi fuimus ratione hac præbendi *spiritum Antiphlogisticum* una cum potu: primo scilicet in inflammatione ventriculi, aut intestinorum: secundo iis, qui ferunt præter morbum acutum, vitium aliquod organicum. In utroque non magis quam drachmas tres spiritus, & magis consueto quidem edulcorati, imperamus in diem, tum præterea sine camphora. Videntur nobis vitio pectoris organico laborantes valde obnoxii esse peripneumoniis. In ejusmodi ægrotantibus curandis cautum sit citius, quam fieri possit, usui *spiritus* supersedere.

§. CXLVI.

§. CXLVI.

Memoria repetimus, putridos inflammatorias modo majori, modo minori coagulo pollere juxta constitutionem præcipue. Porro in ratione directa coaguli nos metimur tam dosim *Antiphlogistici*, quam ejus usus continuationem. In aliquot constitutionibus putridarum tres illius drachmæ pro unaquaque die sufficiebant. *Sæpe eveniebat* post varios dies, ut pulsus meliores fierent, æqualiores, & satis molles: tum ut evanescerent signa, quæ indicabant viscus aliquod affici; hinc paulatim ab usu *Antihplogistici* desistebamus.

Qua ratione sese gerere oporteat in curandis putridis circa dosim, & continuationem usus Antiph. *De iis observata.*

§. CXLVII.

In omni casu, præter rheumatismos, solemus nos relinquere usum remedii, cum inflammatio incœpit jam evidenter resolvi, seu vix atque fuit judicata: plerumque quarto, aut quinto die ab inchoata curatione inflammationum particularium. Si quis pervicaciter insistere ulterius vellet in usu remedii absque sufficienti necessitate, observaret aliquando in quibusdam corporibus excitari in motum morbosos alios humores, qui nidulabantur antea in aliquo viscere, aut corporis parte: eosque ferri in debiliorem partem, quæ scilicet inflammatione nuper obsidebatur, ibique deponi. Idque præsertim fiet, si excretionum viæ non satis fuerint reseratæ. Observaret igitur morbum iterum sub-

Quoad inflammationes particulares si quis ulterius pergat in ejus usu quid accidat interdum: quo in casu: & in quibus corporibus. Monetur igitur serio, quando circumscribĕdus sit usus remedii in morbis inflammatoriis præter rheumatismos.

suboriri, aut exacerbari. Tale itaque monitum præ oculis habeatur in omnibus phlogisticis morbis curandis tunc, cum inveniuntur corpora cachectica, obstructionaria, quæve rheumaticis morbis laboraverint. In solis inquam rheumatismis acutis, si agatur de morbis phlogisticis, licet, imò oportet, & tutum est insistere eidem methodo, donec omnino morbus abierit. Si enim occasione resolventis curationis morbosus humor e visceribus extricetur, hic se figit, ubi incipit morbus. Tunc autem nil aliud accidit, quam ut rheumatismus paulo serius protrahatur.

§. CXLVIII.

In novis morbi exacerbationibus, quæ sub aliorum pariter methodo fiunt, & ad eas prævacendas, quid contulerit.

FIunt quoque Clinicorum omnium experientia novæ tales exacerbationes, maxime si agatur de inflammationibus pectoris, in quacumque methodo, vel nostra seposita. Utcumque sit, experti nos addimus ejusmodi repullulationes inflammationum oppugnari eadem plane methodo posse, & debere. Qui agrariam exercent in nostris maritimis regionibus, subjiciuntur hujusmodi recidivis magis aut minus frequenter juxta constitutionem anni. Tunc cum id metuendi ratio nobis sese obtulit, cordi magis fuit in primo morbi aggressu festinare ad applicationem vesicantium femoribus, nec non etiam cruribus: tum majori studio vias secretionum reserare. Medicus enim *constans & immotus animo, quique mediis tranquillus in undis, raro patitur* se metu percelli, sæpe impingit in turpe illud: *non pataram*:

§. CXLIX.

§. CXLIX.

Redeundo ad rheumatismos acutos in duplici casu circumscribenda continuatio remedii.

IN rheumatismis vero acutis, multoque magis chronicis tutum est, & satius, uti annuimus, juxta nostras observationes non relinquere remedium, nisi cum omnino fuerit morbus judicatus. Quod si unquam æger hæmorragiam aliquam passus fuerit (sciendum quippe nostro remedio menses quoque cieri) sive ad scorbutum inclinet, tunc aliquis debet esse modus, certi debent esse denique fines. Circa usum cujuscumque remedii, quod sua natura vel innocens est, uti ferrum, præscribuntur tamen quædam sacræ Leges, & normæ, quibus neglectis summa damna possunt oriri.

§. CL.

De præmittendo usui Antiph. eccoprotico: & de eo reiterando.

TAnquam pro lege habuimus auspicari curationem post eductum sanguinem ab usu alicujus apti eccoprotici, scilicet electuarii vel polychresti, vel lenitivi, quod ut irroretur, solent jubere oleo, & aqua aliqua stillatitia. Aliquando tamen omittimus usum eccoprotici: quando nimirum invenimus jam ultro progressam inflammationem in corpore puro, non humorali, cum lingua abstersa. Aliter solemus exhibere illud epicratice intra spatium bihorii, aut trihorii. Posthac ad *hæroicum Antiphlogisticum* festinamus, ejusque usum prosequimur, etiamsi oporteat iterum epicratice purgare.

§. CLI.

§. CLI.

Id non est contra praecepta Magistri. Imò juxta ea.

PRæceptor artis, si complectamur mente casus inflammationum viscerum, nec non pulmonum, plurimos reperiemus, in quibus facere non potuit, quominus etiam pharmaca sua imperaret, sive principio, sive in fine habita ratione rerum circumstantiis. Quæ quidem ratio haberi magis religiose debebat tunc, cum agebatur de purgantibus vehementibus, & irritantibus, non autem de eccoproticis.

Stante urinarum crassitie (ait Martianus) in principio morborum purgationem faciendam esse jubet divinus Senex, eo quod cachochimia viget: quam medicamento purgante cessuram esse urinarum crassities indicat. Et quamvis hæc sententia, inquit laudatus Clinicus, intelligenda sit in febribus; nihilominus etiam in inflammationum principiis similiter esse purgandum, quotiescumque urinæ, statim crassæ apparent, non in uno loco divinus Senex demonstravit.

§. CLII.

Quando audaciores possumus esse in purgando.

SI nondum inflammatio firmata sit in parte, tum redundantia humorum detegatur in corpore, & hoc robustum potius reperiatur, aut si de conjuncta indole biliosa humorum agatur, audaciores tunc possumus esse in purgando ratione revulsionis,

§. CLIII.

§. CLIII.

Tunc cum remittunt morbi hujus generis, & vel ipsæ pectoris inflammationes, nos purgare non ambigimus in variis circumstantiis, si præsertim corpus ægri scateat prava succorum saburra. Valde quippe expurgatio thoracis compensatur totius corporis expurgatione. Sic citius evanescere observamus reliquias vitii inflammatorii, & optime præcavetur nova morbi exasperatio, vel recidiva.

De purgando cum remittunt tales morbi, vel etiam pectoris, & abdominis. Quænam ex eo utilitates eruantur.

Post inflammationes abdominis autem magis, quam alibi, ne dum utile, sed necessarium ducitur ab optimis Practicis imum ventrem expurgare. Depravatis quippe morbi decursu ejus viscerum functionibus, variisque seu propter irritamentum constrictis, seu propter tumorem inflammatorium compressis vasibus, ductibusque excretoriis fieri non potest, quominus succi boni remorantes calore morbi corrumpantur, aut effœti, & naturæ infesti, qui erant excernendi, retineantur. Allatæ occasiones, & necessitates purgandi observandæ sunt, nisi ipsemet usus *Antiphlogistici*, quod frequens est, alvum solvat, quatenus fuerit opportunum.

§. CLIV.

Quemadmodum exposuimus, solemus in hoc genere morbi curando confugere ad eccoprotica, tanquam utilia, & coadjuvantia. Hæc imò fortasse

De utilitate, & necessitate phlebotomiæ, quibus præsertim temporibus.

tasse necessaria habenda erunt relata ad usum *hæroici Antiphlogistici* . Respicimus vero phlebotomias , utpote remedium omnino spectandum . Primis enim tribus , aut quatuor curæ diebus , si agatur de inflammationibus particularibus , res urget , ut cohibeantur vis , & symptomata morbi ; siquidem plerumque fit , ut nondum hujus causam subigere potuerit *hæroicum Solvens* . Quod si vertamus nos ad considerandas illas turbas , & symptomatum exacerbationes , quas producit bellum inter essentialem morbi causam renitentem , ac vires oppugnantes remedii , tunc speciatim cum remedium non adhibetur juxta methodum posteriorem , videtur opportuna illa phlebotomia sæpe ad instar miraculi ultimam resolutioni , quasi dicam , manum imponere .

§. CLV.

Contigit absque ullo usu U. S. rheumatismos acutos sanare per Antiph. *An Ideo tentanda U.S. omissio?*

MOrositas ægri , & adstantium , cui indulgere aliqua vice potius erat in voto , obtulit aliquando nobis occasionem experiendi , an absque usu phlebotomiarum , sed solo *Antiphlogistico* sanari integre possit rheumatismus acutus . Adnotatu dignum , id non semel evenisse : nonnullo quidem discrimine , sed non magni momenti . Neminem tamen consuleremus de faciendis ejusmodi periculis , maxime in cæteris phlogisticis morbis : scilicet de relinquenda ope , quoniam hæc nobis Divina Providentia præstatur ; remedii , quod nisi ex se nequit destruere causam inflammationis , faci-

faciliorem tamen expedit viam, tum concedit tempus, quo & vires *Solventis*, & natura magnum hoc opus perficere valeant.

Pro Phlebotomia: & de causis infelicis Medicinæ cōditionis.

Quidquid effutiant unquam novi quidam insurgentes Helmontiani, luce clarius apparet, nihil promptius, efficacius nihil reperiri, quod symptomatum, quæ vitam omni momento temporis gravius lædere, atque minari pergunt, violentiam mitiget, atque coerceat, quam Sanguinis emissio. Deploranda sane Medicinæ conditio usque ab ipsius primordiis! Cum Medici pervenerint ad summum usum principis alicujus remedii, vel sanissimæ methodi, brevi descenderunt in odium. Sentiunt nonnulli, id fieri propter abusum. Hæc tamen causa, ut ejusmodi hæroica remedia vilipenderentur, atque corruerent, non efficere profecto deberet, sed ut potius eorum usus circumscriberetur. Cognovimus quosdam, qui eo quod Polydædali alicujus gloriam, & celeberrimum nomen abiicere conarentur, hoc sibi comparandi scopo, voluerunt sese acerrimos oppositores, & hostes phlebotomi per urbem, & orbem perhibere. An potius ea miseræ illius Medicinæ conditionis iniqua origo?

„ *Sic hominum genus est! quamvis doctrina politos*
„ *constituat pariter quosdam; tamen illa relinquit*
„ *naturæ cujusque animæ vestigia prima;*
„ *nec radicitus evelli mala posse putandum est.*
Lucret.

§. CLVI.

Quamdiu, & quoties egemus V. S. sub usu Antiph.

NOrmam secandi venas desumimus juxta præcepta nostrorum, tum a pulsu, tum a symptomatibus, quoties ingravescant, vel nimis gravia persistant. Phlebotomo plerumque non egemus, nisi tribus primis, aut quatuor curæ diebus. Subintelligitur, hic agi de inflammationibus viscerum particularibus; quoad rheumatismos enim, & putridas coaguli, aliosque morbos mixtæ naturæ, quoniam eorum cursus obtruncari plerumque tam brevi tempore nequit, quovis alio die occurret necessitas sanguinem emittendi. De quantitate autem phlebotomiarum, generice loquendo, constat diuturnis observatis, nos ea non paulo minus, quam alios indigere sub usu *hæroici Antiphlogistici*. Ecquis vero, qui medicinam exercuit, parcant nobis magni viri manes, phlebotomiarum numerum audebit unquam quovis in casu limitare?

§. CLVII.

An durities pulsus nos ducere possit ad educendum sanguinem. Ea de re animadversiones.

SOla pulsuum durities, liceat id nobis per transennam attingere, nos ducere nequit ad emittendum sanguinem, utpote quæ regula fallit, aut quæ sæpissime deficit in phlogistica viscerum affectione. *Fallit*; Siquidem in fibra sensibili ex: gr:, si accedat quævis alia irritatio præter eam, quæ soboles est inflammationis, tunc durities in pul-

pulsibus solet facile excitari, vel adaugeri. Quidquid insurgat præterea convulsivi, potest idem phænomenum inferre. Tum denique reperiuntur multi, qui natura sua, vel ætate, vel exercitatione, atque labore pulsus habent duros. *Sæpissime deficit*: Nam (I.°) ex: gr: plethorici, si qua viscerum inflammatione corripiantur, ostendunt sæpissime initio morbi pulsus oppressos, obscuros, inordinatos, & tardos. In ipso variolarum aggressu pueros sanguineos, & robustos prosterni videmus cum pulsibus tardis, & oppressis. (II.°) Si inflammatione vehementer obsideatur viscus, aut aliqua corporis pars, quare transfluxus sanguinis, aut spirituum animalium valdopere intercipiatur, pulsus fiunt debiles, & molles: velut passim observamus omnes ne dum in cephalitidibus, pulmoniis, hepatitidibus, sed in ipsa quandoque pleuritide, paraphrænitide, & angina. (III.°) Non raro inflammatorii morbi, quod animadvertere juvat, anginæ, pleuritides, pulmoniæ, antequam resolvantur die quarto, quinto, aut septimo (nostra methodo seposita) febrim reddunt vehementiorem, pulsusque magis duros, & elatos, dolore, vel alio pathognomonico affectionis signo, eodem permanente, non autem increscente. Nam phlogistica materies, quæ stagnabat in affecto viscere, resolvi tunc incipit, & in circulum per vasa adigi. Tunc nulla venæ sectione celebrata, nulloque alio remedio in auxilium medicum convocato, res feliciter contigerunt.

 §. CLVIII.

§. CLVIII.

An Calor? Ea de re animadversiones.

Etiamsi desit pulsuum durities, sæpe tamen compellimur ad sanguinem copiose detrahendum: ità quandoque in absentia caloris, quin' imò in ipsa corporis refrigeratione. Hoc quippe phænomenum derivare potest a systrophica, & forti viscerum inflammatione, maxime circa præcordia. Quo in casu difficultas adest spirandi: sitis expleri non potest; & corporis jactatio (id notatu dignum) sine vomitu solet accedere. Utique in gastritide, vel enteritide, propter vehementiam affectionis oborta anxietas, inquietudo, & jactatio, hæc omnia cum vomitu conjunguntur; morbi tamen ii signa ferunt evidentia sui characteris: quod si refrigeratione corporis adstipentur propter exquisitam doloris sensationem, nil mirum: neque adeo obvium est, ut in hoc affectionum genere refrigeratio corporis Practicos eludat, quin ipsi debitis utantur phlebotomiis.

§. CLIX.

An Cuticula phlogistica? Ea de re animadversiones.

Phlogistica item cuticula vel appareat in educto sanguine, vel absit, numquam satis ex se movere debet animos Clinicorum ad phlebotomiis ulterius indulgendum, sive supersedendum. Phænomenon hoc proprium est quidem phlogisticorum morborum: sed in aliis quoque reperitur, imò & in ipso valetudinis statu. Nobis videtur illud com-

comparari sæpissime, quoties hepar invenitur infarctum: constantius autem in inflammationibus biliosæ indolis, quæ sponte sua potius respuunt, quam exigant tot reiteratas venæ sectiones. Multis annis tertianarii perhibuerunt sanguinem pleuriticum: ejus vero fungus, ut vulgo nuncupatur, quasi cinereo colore induitur, & potius friabilis observatur. Quæ obiter attigimus de periculo errandi in præstando fidem, aut pulsibus, aut calori, aut qualitati sanguinis educti, quo determinaretur, nec ne phlebotomia, ea quoque possent ad alia morbi signa referri. Ut rem paucis perstringamus, non unicum, sed unio signorum indicantium in hoc morbo curando ducit nos ad determinationem sanguinem educendi absque ulla mentis præoccupatione.

§. CLX.

De Copia potus requisita non majori cõsueta. Unum de potu tantummodo notatur.

Potiones frequentes, & potius largas nihilo magis exigit remedii qualitas, quam character inflammatorius. Decoctum florum malvæ, aut hordei in usum a nobis revocatur. Commendamus generatim potum adeò, ut fieri solet in hoc morbi genere curando: eisque solum commendamus protinus post assumptum remedium juxta priorem methodum, qui nauseam, sive vomituritionem pati consuescunt.

§. CLXI.

§. CLXI.

Cur rationes habeantur in adhibendo vesicantia, & de tempore eorum applicatione in hoc morbo.

NOs quidem, ut superius innuebamus, vesicantia habemus juxta communem praxim pro eximio sane praesidio antiphlogistico. Quoties inflammatio graviter opprimit, ac praecipue caput, vel pectus obsidet, nunquam nec non eliminamus, sed propere ad illa confugimus. Tunc magis aut minus remoramur, cum offendimus in temperamentum siccum, calidum, sanguineum, maximeque si fibrarum systema sit rigidum, & simul nervorum mobile, quod minima levi de causa convellitur. Apta quippe ad vesicantium usum esse experimur corpora pituitosa, quae sint humentibus, nec non cachectica. In his pura praestat vesicantium applicationes nedum coxis, verum etiam aestate tempore, si oporteat, tibiis facere, cruribus, & affectae parti. In angina eligimus posteriorem colli partem. Lex ferre est plerisque occurrens in hisce regionibus non nisi adhibere hoc, & irritante remedio, nisi post debitam venarum exonerationem.

De praestantia usu cucurbitularum scarificatarum.

Ideo in graviori casu alternatim ego & venam secare, & cucurbitulas scarificatas admovere soleo obsessae parti: indeque postquam id aliquoties, & cito fuit reiteratum, apponere vesicans super eamdem partem scarificatam non dubitavi: etenim contra veterum cujusque illud esse non puto, quod saltem cantharides introducantur, & agant, multo, quam fieri potest, ce-

lenitate, & efficacia. In multis tamen ægris curandis ope *heroici Antiphlogistici* facere potui, quominus vesicantia adhibuerim.

§. CLXII.

Multa alia sunt nota remedia, vel satius dicam, relata ad hoc morborum genus remediola, quæ quidem ego non omnino spernam, neque est cur recenseantur. Oleum ex: gr: , diversi syrupi, oximel, opiata quandoque, fotus, gargarismata, clysteres, aliaque hisce similia. Is ego non sum, qui ita cogitem, ut ad extollendam, atque defendendam compertam virtutem vere in eximio gradu antiphlogisticam sublimati corrosivi, velim cætera artis auxilia aut valida, aut levia vilescant, refellantur. Veluti enim bellorum, sic morborum exitus incerti. Si plura alia præsto sint arma, præsidia, quæ aliquomodo coadjuvent, & colliment singula simul pro viribus suis ad hostis destructionem, cur non illa etiam libenter amplectenda? Prudentis esse videtur, minus ancipiti, quam fieri possit, fortuna pugnare, quo *certus æger incerta pericula lustret*. Quid magis certum exploratumque in Medicina, quam ad perniciosas febres sanandas singulariter, & egregie valere corticem peruvianum? Ecquis tamen Medicorum, puta in medendo lethargicæ, venæ sectiones, vesicantia, synapismata, potiones nitratas, aliaque remedia prætermittit?

Etsi sit satis experta, ut suprema, virtus Antiph. sublim; non refelluntur tamen cætera artis præsidia, uti fit in perniciosis non obstante usu Anchoræ Sacræ.

§. CLXIII.

§. CLXIII.

Semper tamen omnium maxima, & singularis est virtus antiphlogistica hæroici, nec unquam cum alia comparabilis ratione sanationum, tum evidentiũ effectuum, qui sunt determinati.

MIhi mehercule, non parum id experto, videtur, uti China China quoad perniciosas, ita sublimatum corrosivum declarari posse tanquam sacra inflammationum anchora. Remedium sua natura potentissimum est, neque omnino comparari potest cum camphora, nitro, stibio, aut hisce similibus. Si igitur juvat, debet maximopere juvare, si antiphlogisticum est, debet esse potentissimum antiphlogisticum. Ego nunquam inquisivi in sublimati virtutem, ad hoc ut detecta talis alio remedio antiphlogistico, veluti phlebotomiæ, illa suppleret, & cum hoc posset commutari. Neque enim juravi unquam odium in qualecumque remedium, & cum denique sive propter hoc, sive propter illud ægri æquali numero, & felicitate sanati fuissent, vel infortunio periissent, parvi sane, aut nihili compertum ejusmodi habuissem. Sed Rheumatismos acutos cum paucis phlebotomiis, imò etiam absque usu phlebotomi, vesicantium, aliusve remedii perfectè resolvi intra decem, aut duodecim dies, accidit ne sub usu aliorum quorumvis medicaminum, atque methodorum? Pleuropulmonicos, hepatiticos, & quemvis alium phlogisticum morbum vel graviorem observavimus ne hactenus plerumque sanari? An circa actionem aliorum sive directe, sive indirecte resolventium assignari possunt ea data signa quibus agunt, & superant morbum: determinatum

natum tempus, quo ipsa actio manifeste apparet, & refert palmam? Quod si quis inter multos pereat, non mirandum magis, quam aliquem quoque inter laborantes perniciosis febribus occumbere, non obstante sacræ anchoræ usu.

Patet omnes profecto fere singulo ævo insurrexisse obtrectationes, bella, furores contra saniores artis methodos, & regulas, contra ipsa hæroica, quæ nunc celebrantur in arte, remedia: contra Mercurium, Chinam Chinam, Ferrum, Antimonialia, Phlebotomiam, Vesicantia, & variolarum Inoculationem. Nemo mirabitur, si & sublimatum quoque, speciatim utpote Antiphlogisticum, contendetur. Nescio, utrum possem imposterum arripere otium ulteriores observationes hac de re scribendi, aliaque prætermissa colligendi; etenim, uti solet, *multa cadunt inter calicem, supremaque labra*. Quod si me ad opus hoc, cujus lineam attigi, adimplendum rursus conferrem, facerem id adductus iterum nostri generis utilitate, quam tantum, & vehementer exopto. *Hoc* enim consulente Seneca *ab homine exigitur, ut hominibus prosit....*

Nihilominus fortasse fiet, ut contendetur, quemadmodum accidit cæteris hæroicis remediis.

FINIS.

INDEX



risma-

feli-

ple-

 Si-

su-

Etiam

